IHS

Digitized by Google

7
12-c
8

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
10 MG
43

61
F
64

612.59

Digitized by Google

L. III. 41. 8

Y-12 c 8

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRONICON CISTERCIENSIS ORDINIS.

A S. ROBERTO ABBATE Moliſmenſi primùm inchoati,

POSTEA A S. BERNARDO Abbate Clareuallenſi mirificè aucti, ac propagati.

AVBERTVS MIRAEVS BRVXELlenſis, S. Theol. Licent. Canonicus & Sigillifer Antvverpienſis publicabat.



Biblio Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus Bernardi Gualtheri.
ANNO M. DC. XIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

AMPLISSIMO PRAESVLI,

D. ROBERTO HENRION ABBATI VILLARIENSI,

ORDINIS CISTERCIENSIS per Belgium & ditionem Leodienſem Progenerali vigilantiſſimo.

VT apud Græcos & Romanos multi olim viri magni Bibliothecas excitarunt, ſic & noſtra, patrumque memoria Pontifices, Reges, Principes non pauci eũ in vſum opes ſuas, æterno bono ſimul ac fama, impẽderunt. *Sixtus V.* Pont. Max. Bibliothecam Apoſtolicam à prioribus Pontificibus in Laterano conſtitutam, à poſterioribꝰ deinde in Vaticanum tranſuectã, ibidemq; à Nicolao V. auctam, à *Sixto IV.* excultam, ex loco obſcuro in editum anno Chriſti 1588. tranſtulit, aula ampliſsima, veſtibulo, ſcalis ac porticibus, à fundamẽtis regio ſumptu excitatis *Maximilianus II.* Imp. Viennæ

 in Au-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

in Auſtria Bibliothecam omni genere monumentorum ſic adfluentem inſtruxit, vt certamine cũ Aegyptijs, & Pergamenis Regibus inſtituto, eos vel ſuperaſſe, vel certè æquaſſe iudicaretur. Apud Florentinos *Clemens VII. Papa libris optimis, ſtudio maiorum & ſuo vndiq; conquiſitis, Bibliothecam Madicæam*, vt habet inſcriptio, *Deo ac Diuis familiæ præſidibus dedicauit*: Eamq́ue poſtmodum anno 1571. *Coſmus Medicæus*, magnus Etruriæ Dux, perficiendam curauit. Apud Gallos in D. Dionyſij Fano *Franciſcus I.* atq; *Henricus II.* Reges, & Lutetiæ ad D. Franciſci Catharina Medicæa, trium ex ordine Regum mater, idipſum magna cum laude præſtiterunt. In Carpetanis Hiſpanię, & D. Laurentij in Scuriaco, *Philippus II.* Hiſp. Indiarumq́; Rex, tot libros congeſsit, vt regia illa Bibliotheca poſt Vaticanã nulla hodie in orbe Chriſtiano amplior eſſe cenſeatur. Quæ quidem Didaci Hurtadi Mendozæ Caroli V. Imp. olim apud Venetos Legati, libris potiſſimùm, Græcis, Byzantio *& media è Græcia aduectis*,

uectis, mirificè eſt adaucta. Vt de *Alexandri Farneſii, Aſcanij Columnæ*, aliorumq; *Cardinalium Muſæis*, Romæ & alibi inſtitutis, nihil dicam: quis *Ambroſianam* Bibliothecam & Collegiũ, à *Frederico Borromæo*, Cardinale & Archiepiſcopo Mediolanenſi nuper excitatum, ampliterque *dotatum ignorat*? Silentio prætereo *Carolum Emanuelem*, Sabaudiæ Ducem, omitto *Iulium* Herbipolenſium in Germania Epiſcopum, & alios cum ſacri tum politici Ordinis proceres, qui copia & delectu inſignes hodieque Bibliothecas adornant.

Tot tantiſque exemplis excitatus, *Præſul Reuerende*, ampliſſimam porticum, in vſum Bibliothecæ publicæ, à fundamentis nuper in Villario tuo excitaſti: quod vnicum iſtud ornamentum Abbatiæ tuæ numeris omnibus alioqui abſolutæ deeſſe videretur. Laudatiſſimis itaque conatibus hiſce tuis meritò omnium religioſarum familiarũ Abbates & viri omnes magni fauent, applaudunt, congratulantur: atque vtinam honeſta æmula-

ordinis veſtri bono. In quo voto deſino. Antuerpiæ Kalend. Ianuar. anni CIↃ. IↃC. XIV. quas & ſalutares apprecor.

Reuerendæ admodum Amplitudinis veſtræ ſtudioſiſſimus.

Aubertus Miræus.

Digitized by Google

EX ORATIONE PANEGYRICA, HABITA IN LAVDEM REVERENDI admodum Domini,

D. ROBERTI HENRION, *Abbatis Villarienſis, cum ſuum anni quinti & viceſimi in Prælatura Iubilæum in Villario, Anno 1612. die 11. Nouembr. celebraret.*

AVTHORE

R. D. HENRICO van der Heyden/ olim Villarienſi, nunc Priore monaſterij S. Saluatoris Antuerpiæ.

AETATIS *tuæ exordia, Antiſtes digniſsime, conſideranti, primum illud occurrit, non abſque Dei nutu id fuiſſe, vt ei potiſsimum Societati nomen dares, in qua difficillimis temporibus, & quid valeres prudẽtia, & quid animi magnitudine ſatis oſtenderes. Ingreſſus es in ipſo flore adoleſcentiæ, cum apud* Drudios *humanioribus litteris inſigniter operam nauaſſes. Et iam inde non obſcura documenta dediſti inſitæ virtutis tuæ, quæ maiores illico ſuſpicere cœperunt, omniquè ope generoſi pectoris ſemina educare inſtiterunt. Nec fefellit opinio; nam ſacerdotio initiatus, mox periculum feciſti in regendo artis tuæ, cùm adoleſcentes, quotquot erant in religione tirones, ad omnem pietatem confirmaſti.*

Digitized by Google

Erat verò id temporis Abbatiæ huic Præpoſitus eximia laude vir, R. D. Franciſcus de Vleeſcouvvere *Bruxellenſis, Auunculus meus maior. Idēque ætate iam vergente & inclinata id ſpectabat anxius, vt eſſet qui ſubiectis humeris adminiſtrationis pondus fulciret. Quo tempore Te præter inuentus eſt nemo, qui maiore fide, induſtria, diligētia commiſſam oneris partem exciperet, ne taceam ſic fieri ſtatuiſſe inuictum illum Principem* Alexandrum Farneſium, *qui magni Regis Hiſpaniarum ſuper ea re mentem acceperat. Et ſanè percommodè id cecidit, vt ei vicariam operam impenderes viuo, cui in locum, ſic diuina ſanciente prouidentia, ſuccederes mortuo; vt non tam gnauum eripuiſſe paſtorem gregi, quàm æqualem ſurrogaſſe comitiorum ille ſummus rector atque dictator videri potuerit; adeoq; dubium foret an magnitudinem doloris, qui ex morte fuerat alterius, magnitudo gaudij ſequentis non extingueret.*

Secuta eſt illa rerum viciſſitudo, ingens hæreticorum inquam rabies, quæ Belgicam, inſtar tempeſtatis, eſt peruagata. Tunc demum quantus eſſes apparuit, tunc illud animi robur ſe prodidit, quod aduerſis arguitur. Videor mihi imaginem, illorum temporum coram intueri, quando velut in denſiſsima nocte ſolus clauum torſiſti. Tollebāt ſe fluctus vndique, ſæuiebāt turbines atq; procellæ hoſtilium partium: hunc in locum nō ſine horrore dico, in hoc domicilium religioni & ſanctitati

dicatum

dicatũ militaris furor exarſit: Cũ tu animo nõ es lapſus, nec ſtationẽ deſeruiſti, donec pluribꝰ è tua ſocietate fœdũ in modum abactis (qui tamen ijdem non citra miraculum redière) ad extremum cedere & ipſe electus, cum reliquijs eorum qui ſuperfuerunt, Namurcum atque Niuellam tãquam in portum è tempeſtate confugiſti Vbi nihil de vigore monaſticæ diſciplinæ remittẽs, quãtum per locorum rationem licuit, id perfeciſti, vt ſcirent omnes te non pacato minus quàm turbido cœlo Religionis nauem poſſe gubernare.

Et iam tranſijſſe nimbus ille videbatur, cùm tu poſtliminio domum iſtam recuperaſti, coacta tuorum manu, qui ſparſi fuerant; & quæ ſacrilegorũ hominũ furor deiecerat atq; deuaſtarat, ea in integrum reſtituiſti. Itaq; tecta ipſa muriq; ſi loqui poſſent, iure tibi gratularentur, quodque ſarta tecta ſtant, vndiq; tibi vni debere profiterentur. Verum iſtud fortioribus dignum encomijs, quòd in propagationem nouæ ſobolis religioſæ, quæ per eas calamitates non poterat non eſſe imminuta, copioſum delectum iuuenum inſtituiſti; quos vt regularibus præceptis, ita bonarum artium ſtudijs imbuendos, atque etiam ijs, quæ ad cognitionem Dei ſpectant, diſciplinis erudiendos viro Theologo commiſiſti. Qua ex re dici non poteſt quantum boni prouenerit. Neque id nunc ago, vt facta tua in maius extollam, quod ſciam id tibi fore permoleſtum. Officij tamen ratio poſtulat hac die præſertim, vt non poſſimus non ex-

currere

Digitized by Google

currere in laudes tuas, cum grata quadam tuorum benefactorum recordatione, ſimulq́ue ea quæ per annos quinque & viginti prudenter prouideq́ egiſti, ſub vnum velut aſpectum referre. Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono Sacellum in ipſo templo Villarienſi magnis ſumptibus, ac ſingulari opere exornaſti; vt honorificè corpora Sanctorum Arnulphi Cornibout, Iulianæ Cornelienſis, *& aliorum aliquot Sanctorum in eo collocares. Baſilicam ipſam ſtatuis duodecim Apoſtolorum, quatuor Euangeliſtarum, & quatuor Eccleſiæ Doctorum, atque alijs multis præclaris monimentis decoraſti. Sequitur egregij operis Bibliotheca, quam ab imo excitaſti, ratus, id quod res erat, pretioſiſſimum theſaurum libros eſſe, cuius vel ſolius nomine, ſi reliqua cimelia prætereantur, collaudari copioſè poteſt hoc cœnobium.*

Hæc inquam in ipſo ardore feciſti recuperatæ libertatis, his veluti gradibus ad maiora es ſubnixus. Mitto villam intra monaſterij ſepta exſtructam, mitto diuerſis locis ædificatas vel refertas, inq́ue pago Meleurio *(quem Abbatiæ huic proprium comparaſti) ædes magnificè à te perfectas, Mitto illas, quas in Narmurcenſi oppido curaſti egregias, vt eſſent, ſi qua belli moles huc denuo ingrueret, religioſis tutiſſimum perfugium.*

Quid de monaſterijs dicam ſacrarum virginum, in quibus tua cura maximè & diligentia eluxit? quorum non pauca, prout ſunt res humanæ etiam

næ etiam ſanctiſsimæ in interitum pronæ, priſtino vigore reſtituiſti. Illud verò quis tranſeat, quod ad comitia generalia Ciſtertium iam tertiũ profectus, anno abhinc vndecimo, itemq; ſeptimo, & tertio, ita placuiſti ordinis tui primoribus ab initio, vt dignum iudicauerint te, qui vicariam Præfecto generali operam præſtares per haſce Belgicas prouincias: quod etiamnum onus ſumma cum laude ſuſtines. Qua etiam de cauſa reliquorum Abbatum, ac Prælatorum cœtum coëgiſti anno iam elapſo, in tuis quæ Bruxellæ ſunt ædibus, & coram ijs luculentam, & quæ ardorem animi tui teſtaretur vehementem orationem habuiſti, vt ordo noſter priſcis temporibus longè florẽtiſsimus, ſibi quam ſimillimus, ijs maximè quorum res ea intereſt annitentibus, exiſteret. Neq; irrito conatu diſceſſum eſt: nam collatis in vnum ſententijs, quæ ad religionis inſtaurationem pertinebant, à te facillimè collegæ impetrarunt, vt quæ propoſita fuerant ad Primorum concilium referres. Quare denuo Ciſtercium contendiſti, vt ea quæ prudenter erant excogitata, auctoritate publica ſtabilirentur. Itaq; mihi vix tempero, quin modeſtiæ tua ratione omiſſa, plenis, vt aiunt, velis in hoc æquor meritorum tuorum abripiar. Et ſanè horum nemo eſt, quos hic ſtudioſiſsimos tui intueris, qui non, cùm tui mentionem audit fieri, toties de maximis tuis beneficijs, toties de ſingulari tua prudentia, toties de incredibili in ordinem hunc affectu cogitet. Tantus enim eſt ſplendor in laude vera,

vera, tanta in rerum honeſtarum memoria dignitas, vt optimus quiſque non poſſit non maximè huiuſmodi narratione teneri. Si in hoſte dum virtutem quis memorat, afficimur; in laudando parente optimo, in lectiſſimo antiſtite, qui omnia, ſua ſtudia atque conatus ad Dei Opt. Max. gloriam & religionis incrementa confert, non intimis animis commoueamur? Quamquam quid eſt quod indecorum facere cuiquam videamur, qui præſentis virtutem verbis extollimus, atque ipſamet benefacta ſubditis calcaribus incitamus? Licuit M. Tullio præſentẽ Cæſarẽ dictatorem, licuit Plinio Traianum ſuum, licuit alijs optimos Principes in os laudare. Habet enim præſentia virtutis, in quo eſt, præclarum quoddã atq; efficax, nec radios ſuos latere patitur; & eorum, qui aſpiciunt coram viros egregios, ſimilitudinis amore, facilè animi incaleſcunt.

Quare gaude tuis iſtis tam excellentibus bonis, Præſul optime, & fruere cum dignitate & gloria, tum etiã natura & moribus tuis, ex quo quidem maximus eſt fructus, iucunditaſq; ſapienti. Recordare multos tibi quidem dies etſi laborioſos, gratos tamen atq; dulces, rectè factorũ memoria illuxiſſe: hanc verò lucem vel inprimis iucundam exiſtere, quod ſit eorum omniũ, quæ adhuc geſſiſti, corollarium, laborũ teſtis, vitæq; tuæ laudatiſſimè tranſactæ certũ argumentum. Quæ non ita velim accipias, quaſi iam de prouincia deponenda tibi cogitare liceat, aut quaſi iam egregiè munere perfunctus

functus tuo, præclarè tecũ actũ exiſtimes, ſi quod eſt vitæ reliquũ, minore animi cõtentione exigas.

Quinimò ſtabis, ſcio, & cum viro ſanctiſſimo Martino, *cui dies hodiernus ſacer eſt, mortẽ deprecabere, ſi ita è re populi tui videbitur, & vel in ipſo certamine vitã profundes potiùs, quàm vt aliquam labem gloriæ tuæ adſpergas. Quapropter bene tibi animato diuinum Numen, quod ſemper omnibus in rebus antiquiſſimum habes, ita loqui arbitrare: feliciter, & macte iſta tua virtute & conſtantia, Præſul. bene es orſus, miniſteriũ tuum imple. Iuuenibus ad fontem pietatis & ſcientiæ digitum intendiſti, illi, qui te anteceſſit officio, vicarium munus præſtitiſti; quæ per nefarios homines erant proſtrata erexiſti; ſeminariũ adoleſcẽtum grãde plantaſti; quæq; erant corrupta temporum iniuria, inq; moribus vitiorũ ſuccreuerant zizania, vt vellerentur, ſtrenuè contendiſti. Bene & præclarè, ita porrò perge, ſic enitere ad laborũ veſtigium. Annorum paucorum quidem, ſi immortalitatem ſpectas, curriculum abſoluiſti, ne tamẽ tædium capiat eorum quæ conſequentur, ego qui ad coronam inuito ſudoribus multis adipiſcendã, merces tua ero magna nimis. Hæc, inquam, Deum ita loqui tecum, digniſſime Præſul, exiſtima, his immorare cogitationibus, hoc cantu decipe labores tuos, hanc metam tibi ob oculos propone. Nos omnes, quod ita velit propitium Numen, mentem ſanam in corpore ſano, felicitatem, vitam diuturnam tibi volumus, optamus, vouemus.*

APPRO-

APPROBATIO.

CHRONICON hoc magno Autoris labore è varijs Scriptoribus collectum, cùm nec fidei Catholicæ aduerſetur, nec bonis moribus, licitè ad maiorem ordinis Ciſtercienſis illuſtrationem excudi poterit. Datum Coloniæ 1614 die 15. Febr.

Henricus Francken Sierſtorpffius, SS. Theolog. Doct. Gymn. Laurent. Regens, Librorum cenſor.

ORDI-

ORDINIS CISTERCIENSIS CHRONICON.

AVBERTO MIRAEO Auctore.

CLARISSIMI Ordinis Ciſterciẽſis Chronicon ſcripturus, cùm Cęſario Heiſterbacenſi lectorem moneo, eumque ſcire volo, eius authorem quidem eſſe Spiritum ſanctum, inſtitutorem S. Benedictum, innouatorem verò Venerab. & *ſanctũ Robertũ.* Qui *Robertus*, Moliſmenſis in Burgũdia Abbas, cum viginti & vno Monachis, relicto Moliſmo, in eremo quę *Ciſtercium* dicitur, anno 1098. Monaſteriũ excitauit, monaſticum S. Benedicti regulam ſtrictiùs atque accuratiùs cum ſociis obſeruaturus. Vnde nati poſteà Verſus iſti Echoini,

Dialog. Lib. 1. c. 1.

ANNO 1098. *Ciſterciũ fundatur.*

Octauus nonageſimus milleſimus annus
Exſtabat, quando cœpit Ciſtercius Ordo.

 Siue,

Digitized by Google

Siue, vt alij vulgò recitant,

Anno milleno, centeno, bis minus vno,
Sub patre Roberto cœpit Ciſtertius ordo.

Ex primis B. Roberti ſocijs fuêre *Albericus, Odo, Ioannes, Stephanus, Letaldus* & *Petrus*: vt in Epiſtola ſua diſertè teſtatur Hugo Lugdunenſis Epiſcopus, quæ infrà recitabitur.

Rem totam narrat Cæſarius Heiſterbacenſis monachus, lib. 1. Dialogorum, c. 1.

In Epiſcopatu Lingonenſi inquit ſitum eſt cœnobium nomine *Moliſmus*, fama celeberrimum, religione perſpicuum, viris illuſtribus nobilitatum, poſſeſsionibus amplum, virtutibus clarum. Et quia diuitiis virtutibusque diuturna non poteſt eſſe ſocietas, viri nimirum ſapientes, & virtutum amatores, altius intelligentes, licet honeſtè in præfato cœnobio viuerent, minùs tamen ipſam, quam profeſsi fuerant, regulam quia obſeruarent cõſiderantes, habito inter ſe cõmuni conſilio, *viginti* & *vnus* monachi, vnà cũ patre ſuo *Roberto*, vnanimi aſſenſu, eodẽ ſpiritu, venerunt in locum horroris, & vaſtæ ſolitudinis, nomine *Ciſtertium*, ibi viuere cupiẽtes, de opere manuum ſuarum, ſecũdùm regu-
1098. læ præceptum. Anno igitur Dominicæ incarnationis milleſimo nonageſimo octauo, Venerabilis *Hugonis* Lugdunenſis Eccleſiæ

clesiæ Epiſcopi, & tunc Sedis Apoſtolicæ Legati, atq; religioſi viri *VValteri* Cabilonenſis Antiſtitis, nec non clariſsimi principis *Odonis* Ducis Burgundiæ conſilio & auctoritate roborati, in prędicto loco Abbatiam conſtruere cęperunt. Et quia cęnobiũ, de quo exierunt, cõſtructum fuerat in honorẽ B. Dei Genitricis Mariæ, tam ipſi, quàm eorũ ſucceſſores, de eodẽ nouo monaſterio propagati, oẽs ſuas eccleſias in honorem eiuſdẽ glorioſæ Virginis cenſuerũt eſſe dedicãdas. Non multò pòſt cũ inſtãtia monachis Moliſmẽſibus Abbatẽ ſuum requirentibus, iuſſu *Vrbani II.* conſenſu *VValteri* Cabilonenſis Epiſcopi *Robertus* reducitur, & *Albericus,* vir ſanctus, ac religioſus, ei⁹ loco ſubſtituitur. Cuius ſolicitudine, Dei gratia cooperãte, nõ mediocriter vallis illa claruit, & in rebus neceſſarijs creuit. Quo defuncto *Stephanus,* vir ęquè ſanctus, natione Anglicus, ſucceſsit: Et cùm adhuc eſſent pauci numero, perſonis ſecularibus venerantibus in eis vitæ ſanctitatẽ, ſed abhorrẽtibus auſteritatem, *S. Bernardus*, anno 15. cum triginta fermè ſocijs aduenit, & ſuaui iugo Chriſti ibidem collum ſubmiſit. Ex tunc cępit vinea illa Domini Sabaoth creſcere, ac dilatari, atque palmites ſuos extendere à mari vſque ad mare, & impleta eſt terra poſſeſsione eius.

Ciſtertij filiæ 4. primariæ. Primæ eius propagines, *Firmatas, Pontiniacum, Claræuallis, Morimundus.* Iſtarum quatuor domorum Abbates, tãtæ auctoritatis ſunt, vt Abbatem Ciſtercienſem viſitent ſimul, & ſingulatim ab eo, verſa vice,
1115. viſitentur. Anno autem Domini 1115. fundata eſt domus *Claræuallis*, cuius primus Abbas fuit Sanctus *Bernardus*; *Clauſtrenſe* verò ſiue *Hemmenrodenſe* monaſteriũ fun-
1134. datum eſt anno milleſimo centeſimotrigeſimoquarto. *Hactenus Cæſarius.*

De his ipſis rebus fuſiſſimè ſcribit auctor anonymus, in libro manuſcripto de origine ac viris illuſtribus Ordinis Ciſtercienſis, *Vincentius* item *Bellouacenſis* in Speculo Hiſtoriali, qui Stephanum Hardingum, natione Anglum, narrat Stephano Abbati Moliſmenſi, ad veterem ordinis diſciplinam reformandam, auctorem exſtitiſſe.

Ciſtertij ſitus. Ciſtertium porrò viſitur ſecundo ferè lapide à *Diuione*, vulgò *Dijon*, Ducatus Burgundiæ metropoli; cuius loci Abbas vniuerſi per orbem ordinis Ciſtertienſis ſummus eſt princeps & anteſignanus. Is per ſe vel per Abbatem Clareuallenſem, aliumve legatum ſuum reliqua omnia huius inſtituti monaſteria viſitare ſolet.

Ciſtertienſes namque Epiſcoporum ſiue Ordinariorum imperio ac coërctioni

exemit

exemit *Alexander III.* Pontifex Maximus, diplomate anno tertio eius Pontificatus dato, quod Rhenatus Choppinus lib. II. ſacræ Politiæ recitat.

Libet autem hoc loco inſigne antiquitatis monumētum ſubnectere, Hiſtoriam ſcilicet atque originem Ciſtertienſis ordinis atque cœnobij, ab ipſis primis Patribus Ciſtertienſibus conſcriptam, quam Pariſijs anno 1610. cum ibi negotiorum cauſa verſarer, manuſcriptam in bibliotheca V. Cl. Petri Puteani Iureconſulti reperi: exſtatq́; paſſim in monaſterijs huius Ordinis.

Digitized by Google

EXORDIVM COENOBII ATQVE ORDINIS CISTERCIENSIS,

A PRIMIS PATRIBVS Ciſtertienſibus conſcriptum.

NOs Ciſtertienſes, primi huius Eccleſiæ fundatores, ſucceſſoribus noſtris ſtilo præsēti notificamus, quàm canonicè, quanta auctoritate, à quibus etiã perſonis, quibuſq́; temporibus, cœnobiũ, & tenor vitæ illorũ exordiũ ſumpſerit; vt huius rei propolata ſincera veritate, tenaciùs & locum & obſeruantiam ſanctæ regulæ, in eo nobis per Dei gratiam vtcunque inchoatam ament: pro nobiſque, qui pondus diei & ęſtus indefeſsè ſuſtinuimus, orent; & in arcta atque anguſta via, quam regula demonſtrat, vſque ad exaltationem ſpiritus dēſudent, quatenus depoſita ſarcina, in requie ſempiterna, feliciter pauſent.

ANNO 1098. Anno ab incarnatione Domini milleſimo nonageſimo octauo, beatæ memoriæ *Rober-*

Robertus Moliſmenſis Eccleſiæ in Epiſcopatu Lingonenſi fundatur primus Abbas, & quidam eiuſdem cœnobij fratres ad venerabilem *Hugonem* tunc Apoſtolicæ ſedis Legatum, ac Lugdonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopũ venerunt, vitam ſuam ſub cuſtodia ſanctę regulæ Patris Benedicti ſe ordinaturos pollicentes. Et idcircò ad hoc liberius exſequẽdum, vt eis & ſui iuuaminis, Apoſtolicæque auctoritatis robur porrigeret, cõſtanter flagitarunt. Quorum voto Legatus ille lætanter fauens, tali epiſtola exordij eorum fundamentum iecit.

S. Robertus Abbas Moliſmẽſis, & primus Ciſtertiẽſis: de quo Martyrol. Rom. 29. April. exſtatq; vita eius apud Suriũ, per Odonẽ Abbatem Moliſmẽſem.

EPISTOLA HVGONIS LVGDVnenſis Archiepiſcopi ad Robertum Abbatem Moliſmenſem.

HVGO, Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Sedis Apoſtolicę Legatus, *Roberto* Moliſmenſi Abbati, & Fratribus cum eo ſecundũ regulam S. Benedicti Deo ſeruire cũpiẽtibus. Notum ſit omnibꝰ de S. Matris Eccleſiæ profectu gaudẽtibus, vos & quoſdam filios veſtros Moliſmẽſis cęnobij fratres, Lugduni in noſtra prę ſentia adſtitiſſe, ac regulæ beatiſsimi Benedicti, quã hactenus tepidè ac negligẽter in eodem monaſterio tenueratis, arctiùs deinceps atque perfectiùs inhærere velle profeſſos fuiſſe. Quod quia in loco prædicto, pluribus impedien-

pedientibus cauſis, conſtat adimpleri non poſſe, nos vtriuſque partis ſaluti, videlicet recedentium atque illic remanentiũ prouidentes, in locum alium quem nobis diuina largitas deſignauerit, vos declinare, ibique ſalubrius atque quietiùs Domino famulari, vtile duximus fore. Vobis ergo tunc præſentibus, videlicet, *Roberto* Abbati, Fratribus quoque, *Alberico, Odoni, Ioanni, Stephano, Letaldo,* & *Petro,* ſed & omnibus, quos regulariter & communi conſilio vobis ſociare decreuiſtis, hoc ſanctum propoſitum, & tunc conſulimus, &, vt in hoc perſeueretis, præcipimus, & auctoritate Apoſtolica per ſigilli noſtri impreſsionem, in perpetuum confirmamus.

DE EGRESSV MONACHORVM de Moliſmo, & de aduentu eorum ad Ciſtertium, deque monaſterio, quod inceperunt.

POST hæc talia ac tanta, antedictus Abbas, & ſui auctoritate freti Moliſmum redierunt, & de illo religioſo fratrum collegio, ſocios votum in regula habentes elegerunt; ita vt inter eos qui Legato Lugduni fuerant locuti, & illos qui de cœnobio vocati, *viginti* & *vnus* monachi eſſent, talique ſtipati comitatu ad eremũ quæ *Ciſtertium* dicebatur, alacriter tetenderunt.

xxi. Monachi ex Moliſmo vadunt Ciſtertiũ.

derunt. Qui locus in Epiſcopatu Cabilonenſi ſitus & præ nemoris, ſpinarumque tunc temporis opacitate, acceſſu hominum inſolitus, à ſolis feris inhabitabatur: ad quem viri Dei venientes, locumque illum tam religione quàm animo iam iamque conceperant, & propter quem illuc aduenerant, quantò ſæcularibus deſpicabiliorem & inacceſsibilem intelligentes, nemoris & ſpinarum denſitate præciſa ac remota, monaſterium ibidem voluntate Cabilonenſis Epiſcopi, & conſenſu illius cuius iſte locus erat, cōſtruere cęperūt. Nam viri iſti apud Moliſmum poſiti, ſæpè inter ſe, Dei gratia aſpirati, de tranſgreſsione regulæ B. Benedicti patris Monachorum loquebantur, conquerebantur, contriſtabantur; videntesſe, cæteroſq; Monachos hanc regulam ſolemni profeſsione ſeruaturos promiſiſſe, eamque minimè cuſtodiſſe; & propter hoc Apoſtolicæ ſedis Legati auctoritate iter prælibantes ad hanc ſolitudinem, vt profeſsionem ſuam obſeruantia ſanctæ regulę adimplerent, veniebāt. Tunc Dominus *Odo* Dux Burgundiæ ſancto feruore eorum delectatus, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ præſcripti Legati litteris rogatus, monaſterium ligneum, quod inceperant, de ſuis totū conſummauit, illoſque inibi in omnibus neceſſariis diu procura-

Odo Dux Burgū diperficit Ciſtertiū.

cura-

Digitized by Google

curauit & terris ac pecoribus abundè ſubleuauit.

QVOMODO LOCVS CISTERtienſis in Abbatiam ſurrexit.

EODEM tempore Abbas qui aduenerat ab Epiſcopo illius dioeceſis, virgam paſtoralem cum cura monachorum iuſſu prædicti Legati ſuſcepit, fratreſq; qui ſecum aduenerant, in eodem loco ſtabilitatem regulariter firmare fecit: ſicque Eccleſia illa in Abbatiam canonicè, Apoſtolicaque auctoritate creſcendo ſurrexit.

QVOD MOLISMENSES AVRES Domini Papæ pro reditu Roberti Abbatis inquietauerunt.

IGITVR haud multo elapſo temporis ſpatio, Moliſmenſes monachi, voluntate Domini *Goffridi* Abbatis ſui, qui Roberto ſucceſſerat Dominum Vrbanum Papam Romæ adeuntes, poſtulare cœperunt, vt ſupradictus *Robertus* in locum priſtinū reſtitueretur: quorum importunitate motus Papa, mandauit Legato ſuo, venerabili ſcilicet Hugoni, vt, ſi poſſet fieri, idem Abbas reuerteretur, & monachi eremum diligentes in pace conſiſterent.

EPI-

EPISTOLA VRBANI PAPAE, PRO reditu Abbatis Roberti, ad Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem.

VRBANVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri & Epiſcopo Hugoni Apoſtolicæ ſedis Vicario ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Moliſmenſium fratrum magnum in Concilio clamorem accepimus, Abbatis ſui reditũ vehementius poſtulantium. Dicebant enim religionẽ in ſuo choro euerſam, ſeque pro Abbatis illius abſentia odio apud Principes & cæteros vicinos haberi. Coacti tandem à fratribus noſtris, dilectioni tuæ per præſentia ſcripta mandamus, ſignificantes gratum nobis exſiſtere, vt ſi fieri poſſet, Abbas ille ab eremo ad monaſterium reducatur. Quod ſi implere nequiueris, curæ tibi ſit, vt & qui eremum diligunt, conquieſcant, & qui in cœnobio ſunt, regularibus diſciplinis inſeruiant.

His Apoſtolicis litteris Legatus lectis, viros authenticos & religioſos conuocauit, & de præſenti negotio quæ ſubtus ſunt exarata, definiuit.

DECRE-

curauit & terris ac pecoribus abundè ſubleuauit.

QVOMODO LOCVS CISTERtienſis in Abbatiam ſurrexit.

EODEM tempore Abbas qui aduenerat ab Epiſcopo illius dioeceſis, virgam paſtoralem cum cura monachorum iuſſu prædicti Legati ſuſcepit, fratreſq; qui ſecum aduenerant, in eodem loco ſtabilitatem regulariter firmare fecit: ſicque Eccleſia illa in Abbatiam canonicè, Apoſtolicaque auctoritate creſcendo ſurrexit.

QVOD MOLISMENSES AVRES Domini Papæ pro reditu Roberti Abbatis inquietauerunt.

IGITVR haud multo elapſo temporis ſpatio, Moliſmenſes monachi, voluntate Domini *Goffridi* Abbatis ſui, qui Roberto ſucceſſerat Dominum Vrbanum Papam Romæ adeuntes, poſtulare cœperunt, vt ſupradictus *Robertus* in locum priſtinū reſtitueretur: quorum importunitate motus Papa, mandauit Legato ſuo, venerabili ſcilicet Hugoni, vt, ſi poſſet fieri, idem Abbas reuerteretur, & monachi eremum diligentes in pace conſiſterent.

EPI-

EPISTOLA VRBANI PAPAE, PRO reditu Abbatis Roberti, ad Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem.

VRBANVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri & Epiſcopo Hugoni Apoſtolicæ ſedis Vicario ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Moliſmenſium fratrum magnum in Concilio clamorem accepimus, Abbatis ſui reditũ vehementius poſtulantium. Dicebant enim religioné in ſuo choro euerſam, ſeque pro Abbatis illius abſentia odio apud Principes & cæteros vicinos haberi. Coacti tandem à fratribus noſtris, dilectioni tuæ per præſentia ſcripta mandamus, ſignificantes gratum nobis exſiſtere, vt ſi fieri poſſet, Abbas ille ab eremo ad monaſterium reducatur. Quod ſi implere nequiueris, curæ tibi ſit, vt & qui eremum diligunt, conquieſcant, & qui in cœnobio ſunt, regularibus diſciplinis inſeruiant.

His Apoſtolicis litteris Legatus lectis, viros authenticos & religioſos conuocauit, & de præſenti negotio quæ ſubtus ſunt exarata, definiuit.

DECRE-

DECRETVM HVGONIS LEGATI de toto negotio Moliſmenſium atque Ciſtertienſium.

HVGO Lugdunenſis Eccleſiæ ſeruus cariſsimo fratri *Roberto* Lingonenſium Epiſcopo ſalutem. Quod de negotio Moliſmenſis Eccleſiæ in colloquio nuper habito definiuimus, fraternitati veſtrę notificare neceſſarium duximus. Venerunt ante nos illuc cum litteris veſtris Moliſmenſes monachi, loci ſui deſolationem, atque deſtructionem, quam per remotionem *Roberti* Abbatis incurrerant, oſtẽdentes, ipſumq́; ſibi reddi in patrem magnoperè poſtulantes. Nullo modo enim aliter ſperabant pacem, & quietem Moliſmenſis Eccleſiæ poſſe reſtitui, vel monaſtici ordinis vigorem in priſtinum ſtatum illic reuocari. Affuit etiam ibi in præſentia noſtra frater *Goffredus*, quem eidem Eccleſiæ in Abbatem ordinauiſtis, dicens ſe libenter iſti Roberto velut patri ſuo locum daturum, ſi nobis placeret, vt eum Moliſmenſi Eccleſiæ remitteremus. Audita igitur veſtra & ipſorum Moliſmenſium petitione, relictis etiam Domini Papæ litteris ſuper hoc negotio nobis directis, totum diſpoſitioni & arbitrio noſtro committentis, eandem multorum virorum religioſorũ, tàm

tam Epiſcoporum, quàm aliorum qui nobiſcum aderant conſilio, precibus veſtris & eorum acquieſcentes, Moliſmenſi Eccleſiæ ipſum reſtituere decreuimus: ita videlicet, vt priuſquam illuc redeat, Cabilonem veniens, in manu fratris noſtri Cabilonenſis Epiſcopi, cui ſecundum conſuetudinem ceterorum Abbatum profeſsionem fecit, virgam & curam Abbatiæ reddat, atque monachos * noui monaſterij, qui ei ſicut Abbati ſuo profeſsionem fecerunt, ab ipſa profeſsione liberos & abſolutos dimittat, ac ſic ab ipſo Epiſcopo profeſsionis, quam & Cabilonenſi Eccleſię fecit, abſolutionem accipiat. Dedimus etiam licentiam cum eo redeundi Moliſmum omnibus illis fratribus noui monaſterij, qui eum ſecuti fuerint, tali conditione, vt de cætero neutri neutros ſolicitare vel recipere præſumant, niſi ſecundum quod beatus Benedictus monachos noti monaſterij præcepit recipiendos. Poſtquam hæc ſupradicta fecerit, remittimus eum dilectioni veſtræ, vt Moliſmenſi Eccleſiæ illum in Abbatem reſtituatis: ita tamen vt ſi deinceps eandem Eccleſiam deſeruerit, nullus ei ſubſtituatur, viuente præfato *Gaufredo* Abbate, abſque noſtro & veſtro, eiuſdemque Gaufredi aſſenſu. Quæ omnia Apoſtolica auctoritate rata eſſe præcipimus. De

* *Ciſtertium intelligo.*

capella

Digitized by Google

capella etiam prædicti Abbatis Roberti, & de cæteris rebus, quas à Moliſmenſi Eccleſia recedens ſecum tulit, & cum eis Cabilonenſi Epiſcopo, atque nouo monaſterio ſe reddidit, id ſtatuimus, vt omnia fratribus noui monaſterij ſalua permaneant, præter Breuiarium quoddam, quod vſque ad feſtiuitatem S. Ioannis Baptiſtæ retinebunt, vt tranſcribant aſſenſu Moliſmenſium. Huic autem definitioni interfuerunt Epiſcopi, *Norigandus* Eduenſis, *Galterus* Cabilonenſis, *Berandus* Matiſconenſis, *Pontius* Bellicenſis: & Abbates Tenorcienſis, *Iarentio* Diuionenſis, *Gauſoeranus* Athanacenſis, *Petrus* quoque Domini Papę Camerarius, multique alij viri honeſti, & boni teſtimonij. Hæc omnia Abbas ille laudauit & fecit abſoluendo Ciſtertienſes ab obedientia, quam ei in illo vel in Moliſmenſi loco promiſerat, & Dominus *Galterus* Cabilonẽſis Epiſcopus Abbatem à cura illius Eccleſiæ liberum dimiſit: ſicque reuerſus eſt, & quidam monachi cùm eo, qui eremum non diligebant. Hac ergo ratione, Apoſtolicaque diſpenſatione, iſtæ duę Abbatiæ in pace & libertate ſumma remanſerunt. Rediens verò Abbas ſecum pro ſcuto defenſionis has litteras epiſcopo ſuo detulit.

COM-

COMMENDATIO ABBATIS ROberti, per Gauterum Episcopum Cabilonenſem.

DILECTISSIMO fratri & Coëpiſcopo *Roberto* Lingonenſi Epiſcopo *Gauterus* Cabilonenſis Eccleſiæ ſeruus ſalutem. Notum ſit vobis fratrem *Robertum*, cui Abbatiam illam in noſtro Epiſcopatu ſitam, quæ *nouum Monaſteriũ* dicitur, commiſeramus, à profeſsione, quam Cabilonenſi Eccleſiæ fecit, ab obedientia, quam nobis promiſit, ſecundum Domini Archiepiſcopi definitionem, à nobis eſſe abſolutum. Ipſe autem monachos illos qui in prę fato nouo monaſterio remanere decreuerant, ab obediẽtia, quam ſibi promiſerant, & à profeſsione liberos & abſolutos dimiſit. Illum ergo amodò ſuſcipere & honorificè tractare ne vereamini. Valete.

DE ELECTIONE ALBERICI Abbatis Ciſtertienſis Eccleſiæ.

VIDVATA ergò ſuo Paſtore Ciſterc ienſis Eccleſia conuenit, ac regulari *Albericus II. Abbas Ciſtertiẽſis.* electione quendam fratrem *Albericum* nomine in Abbatem ſibi promouit, virum ſcilicet litteratum, in diuinis & humanis ſatis gnarum, amatorem regulæ, & fratrum, quique prioris officium & in Moliſ-

 menſi

menſi & in illa diutius gerebat Eccleſia, multumque diu nitendo laborauerat, vt ad illum de moliſmo tranſmigrarent fratres locum, & pro hoc negotio multa opprobria, carcerem & verbera perpeſſus fuerat.

IOANNES ET ILBODVS MOnachi Ciſtertienſes mittuntur Romam.

PRAEFATVS *Albericus*, curâ paſtorali, licet multum renitens, ſuſceptâ, cogitare cœpit, velut vir mirabilis prudentiæ, quæ tribulationũ procellæ ipſum aliquando concutientes vexare poſſent: & præcauens in futurum, cum conſilio fratrum, tranſmiſit monachos duos, *Ioannem* & *Ilbodum* Romam, dominum Papam *Paſchalem* per eos exorãs, vt Eccleſia ſua ſub Apoſtolicæ protectionis alis, tuta ab omnium eccleſiaſticarũ ſeculariumve preſſura perſonarũ perpetuò ſederet. Qui fratres prædicti, *Hugonis* Archiepiſcopi, *Ioannisq;* & *Benedicti* Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, *VValteri* quoque Cabilonenſis Epiſcopi ſigillatis litteris freti, Romam proſperè iuerunt & redierunt, antequam ipſe Papa *Paſchalis* in captione Imperatoris poſitus eſſet, reportantes eiuſdem Apoſtolici priuilegium, iuxta vota Abbatis ſociorumq; eius per omnia exoratum. Has epiſtolas, priuilegium

Ioannes & Ilbodus monachi Ciſtertienſes mittũtur Romam.

legium etiam congruum duximus in hoc opuſculo relinquere, vt poſteri noſtri intelligant quàm magno conſilio & auctoritate Eccleſia eorum ſit fundata.

EPISTOLA IOANNIS, ET BENEdicti, Cardinalium ad Paſchalem II. Papam, in fauorem Ciſtertienſium.

DOMINO Patri Papæ *Paſchali*, & vbique laude eximia prędicãdo, *Ioannes* & *Benedictus* ſeipſos per omnia. Quia veſtri moderaminis eſt omnibus Eccleſijs prouidere, & iuſtis poſcentium votis manum porrigere, veſtræque iuſtitiæ adiumento religio Chriſtiana fulta incrementum debet ſumere, veſtram Sanctitatem obnixiùs deprecamur, quatenus harum litterarum baiulis noſtro conſilio à quibuſdam religioſis fratribus Paternitati veſtræ miſsis aures pietatis veſtræ flectere dignemini.
Petunt eum vt præceptum quod de quiete & ſuæ religionis ſtabilitate, à prædeceſſore veſtro Domino noſtro beatæ memoriæ Papa *Vrbano* acceperunt, & quod ſecundùm eiuſdem præcepti tenorem, Archiepiſcopus Lugdunenſis tunc Legatus, & alij Coepiſcopi & Abbates, inter eos & Moliſmenſem Abbatiam, à qua religionis cauſa diſceſſerant, definiuerunt, veſtræ auctoritatis priuilegio, in perpetuum

maneat inconuulſum. Ipſi enim vidimus, eorumque veræ religioni teſtimonium perhibemus.

EPISTOLA HVGONIS LVGDVnenſis Archiepiſcopi, ad eundem, in fauorem eorundem.

REVERENDISSIMO Patri & Domino ſuo *Paſchali* Papæ II. *Hugo* Lugdunenſis Eccleſiæ ſeruus, per omnia ſeipſum. Fratres iſti præſentium geruli ad Paternitatis Veſtræ Celſitudinem tendentes per nos tranſitum fecerunt: Et quia iuxta prouinciam noſtram, videlicet, in Epiſcopatu Cabilonenſi manſionem habent, humilitatis noſtræ litteris apud Celſitudinem Veſtram ſe commendari petierunt. Sciatis autem eos eſſe de quodã loco, qui nouũ monaſterium vocatur, ad quem de Moliſmẽſi Eccleſia cum Abbate ſuo exeuntes, propter arctiorem & ſecretiorem vitam, ſecũdum regulam beati Benedicti, quam propoſuerant tenendam, habitatum venerunt, depoſitis quorundam monaſteriorum conſuetudinibus, imbecillitatem ſuam ad tantum pondus ſuſtinendum imparem iudicantium. Vnde Moliſmẽſis Eccleſiæ fratres, & quidam alij adiacentes monachi, eos infeſtare & inquietare non deſinunt, æſtimantes ſe viliores & deſpectiores haberi

apud

apud ſæculũ, ſi iſti quaſi ſingulares & noui monachi inter eos habitare videãtur. Quapropter deſideratiſsimam nobis Paternitatem veſtram humiliter & cum fiducia deprecamur, vt fratres iſtos totam ſpem ſuam in vobis per Dominum ponentes, & idcirco ad Apoſtolatus veſtri auctoritatem confugientes, benignè pro more veſtro reſpiciatis, & eos & locum iſtorum ab hac infeſtatione & inquietudine liberando, auctoritatis veſtræ priuilegio muniatis, vtpotè pauperes Chriſti, nullam contra ſuos æmulos diuitijs vel potentia defenſionem parantes, ſed in ſola Dei & veſtra clementia ſpem habentes.

EPISTOLA VVALTERI EPIſcopi Cabilonenſis.

VENERABILI Patri Papæ *Paſchali*, *VValterus* Cabilonenſis Epiſcopus ſalutem, & debitam ſubiectionem. Sicut Sanctitas veſtra, vt fideles in vera religione proficiant, ardenter deſiderat, ſic eiſdẽ veſtræ protectionis vmbram, veſtræq; conſolationis fomentum deeſſe non expedit. Suppliciter ergò petimus, quatenus quod factum eſt de fratribus illis, qui arctioris vitæ deſiderio à Moliſmenſi Eccleſia, ſanctorum virorum cõſilio, receſſerunt, quos in noſtro Epiſcopatu diuina pietas collocauit,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

cauit, à quibus tranſiſſe prꝑſentium litterarum baiuli vobis præſentes adſtant, ſecundum prædeceſſoris veſtri præceptum, & Lugdunenſis Archiepiſcopi Apoſtolicæ Sedis tũc Legati & Coëpiſcoporum & Abbatum definitionem & ſcriptum, cuius rei nos prꝑſentes, & eius auctores cum aliis exſtitimus, vos approbare, & vt locus ille Abbatia libera in perpetuum permaneat, ſalua tamen veſtræ perſonæ, ſucceſſorumque veſtrorum canonica reuerentia, auctoritatis veſtræ priuilegio corroborare dignemini. Sed & Abbas quem in eodem loco ordinauimus, & cæteri fratres totis viribus hanc confirmationem in ſuæ quietis cautelam à veſtra flagitant pietate.

PRIVILEGIVM PASCHALIS II. Papæ, Ciſtertienſibus datum.

Exſtat & apud Baronium tom. 12.

PASCHALIS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili *Alberico* noui monaſterij Abbati, quod in Cabilonenſi parochia ſitum eſt, eiuſque ſucceſſoribus regulariter inſtituendis in perpetuum. Deſideriũ, quod ad religioſum propoſitum, & animarum ſalutem pertinere monſtratur, auctore Deo, ſine aliqua eſt dilatione complendum. Vnde vos, ô filij in Domino dilectiſsimi, citra difficultatem omnem, veſtrarum precum petitionẽ admittimus,

timus, qui religioni veſtræ paterno congratulamur affectu. Locum ergò illum quem inhabitandum pro quiete monaſtica elegiſtis, ab omnium mortalium moleſtijs tutum ac liberum fore ſancimus, & Abbatiam illius perpetuò haberi, ac ſub Apoſtolicæ ſedis tutela ſpecialiter protegi, ſalua Cabilonenſi Eccleſiæ canonica reuerentia, roboramus. Præſentis itaque decreti pagina interdicimus, ne cuiquam omninò perſonę liceat ſtatum veſtræ conuerſationis immutare, neque veſtri, quod Nouum dicitur, cœnobij monachos ſine regulari commendatione ſuſcipere, neque congregationem veſtram aſtutijs quibuſlibet, aut violentijs perturbare. Eam ſanè cõtrouerſiæ deciſionem, quam inter vos Moliſmenſis clauſtri monachos, frater noſter Lugdunenſis Epiſcopus, tum Apoſtolicæ Sedis Vicarius, cum prouinciæ ſuæ Epiſcopis alijſque religioſis viris, ex præcepto prædeceſſoris noſtri Apoſtolicæ memoriæ *Vrbani* Secundi perpetrauit, nos tanquam rationabilem ac laudabilem confirmamus. Vos ergò filij in Chriſto dilectiſſimi ac deſideratiſsimi, meminiſſe debetis, quia pars veſtri ſæculares latitudines, pars ipſas etiam monaſterij laxioris minus auſteras anguſtias reliquíſtis. Vt ergo hac ſemper gratia digniores cenſeamini, *Vrbanus II.*

Dei ſemper timorem & amorem in veſtris cordibus habere ſatagite: vt quantò à ſecularibus tumultibus & delicijs liberiores eſtis, tantò amplius placere Deo totis mentis & animæ virtutibus augeretis. Sanè ſi quis in craſtinum Archiepiſcopus aut Epiſcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes aut Vicecomes, Iudex, aut Eccleſiaſtica quęlibet, Sęculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contrà eam venire tentauerit, ſecundò tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & ſanctiſsimo corpore ac ſanguine Dei & Domini noſtri IESV CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine deſtinatæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini Noſtri IESV CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Datum Troiæ XIV. Kal. Maij, Indictione octaua, Anno 1100.

INSTITVTA MONACHORVM CIſtertienſium de Moliſmo venientium.

ANNO 1100. DEHINC Abbas *Albericus*, & fratres eius, nó immemores ſponſionis ſuæ, regulam

regulam B. Benedicti in loco illo ordinare & vnanimiter ſtatuerunt tenere, reiicientes à ſe quidquid regulæ refragabatur, froccos videlicet & pelliceas ac ſtamina, caputia quoque & femoralia, pectinia & coopertoria, ſtramina lectorum, ac diuerſa ciborum fercula, ſaginam etiam, & cætera omnia quæ puritati regulæ aduerſabantur: ſicque rectitudinem regulę ſupra cunctum vitæ ſuæ tenorem ducentes, tam in eccleſiaſticis, quam in cæteris obſeruationibus, regulæque veſtigiis ſunt adæquati, ſeu conformati. Extra ergò veterem hominem, nouum ſe induiſſe gaudebant, & qui nec in regula, nec in vita S. Benedicti, eundem doctorem legebãt poſſediſſe Eccleſias, aut altaria ſeu oblationes, aut ſepulturas, vel decimas aliorum hominum, ſeu furnos vel molendina, aut villas vel ruſticos, nec etiam fœminas monaſterium eius intraſſe, nec mortuos ibidem, exceptâ ſorore ſuâ, ſepeliiſſe; ideò hæc omnia abdicauerunt, dicentes: *Vbi beatus Pater Benedictus docet, vt monachus à ſecularibus actibus ſe faciat alienũ, ibi liquido teſtatur, hæc non debere verſari in actibus vel cordibus monachorum, qui nominis ſui Etimologiam, hæc fugiendo ſectari debent.* Decimas quoq; aiebant à ſanctis Patribus, qui organa erant Spiritus ſancti, quorumque ſtatuta trãſgredi ſacrilegium eſt com-

mittere, in quatuor partitiones diſtributas, vnam ſcilicet Epiſcopo, alteram Preſbytero, tertiam hoſpitibus ad illam Eccleſiam venientibus, ſeu viduis & orphanis, ſiue pauperibus abundè victum non habentibus; quartam reſtaurationi Eccleſiæ. Et quia in hoc computu perſonam monachi, qui terras ſuas poſsidet, vnde & per ſe & per pecora ſua laborando viuat, non reperiebant, idcircò hæc veluti aliorum ius, iniuſtè ſibi vſurpare detrectabāt. Ecce huius ſeculi diuitijs ſpretis, cœperūt noui milites Chriſti cum paupere Chriſto pauperes inter ſe certare quo ingenio, quove artificio, ſeu quo exercitatio in hac vita ſe hoſpiteſque diuites & pauperes ſuperuenientes, quos vt Chriſtum ſuſcipere præcipit regula, ſuſtentarent. Tuncque definierunt ſe *conuerſos laicos barbatos*, licentia Epiſcopi ſui ſuſcepturos, eoſque in vita & morte, *excepto monachatu*, vt ſemetipſos ſuſcepturos, & homines etiam mercenarios, qui ſine adminiculo iſtorum non intelligebant ſe plenariè die ſiue nocte præcepta regulæ poſſe ſeruare: ſuſcepturos quoque terras ab habitatione hominum remotas, & vineas, & prata, ſiluas, aquaſque ad facienda molendina, ad proprios tantùm vſus, & ad piſcationem, & equos pecoraque diuerſa neceſsitati hominum

Conuerſi laici barbati.

vtilia.

vtilia. Et cum alicubi curtes ad agriculturas exercendas inſtituiſſent, decreuerunt, vt prædicti Conuerſi domos illas regerent, non monachi: quia habitatio monachorum ſecundum regulam debet eſſe in clauſtro ipſorum, Quia etiam beatum Benedictum non in ciuitatibus, nec in caſtellis nec in villis, ſed in locis à frequentia populi ſemotis cœnobia conſtruxiſſe, ſancti viri ſciebant, idem ſe æmulari promittebant. Et ſicut ille monaſteria conſtructa per duodenos monachos adiuncto Patre diſponebat, ſic ſe acturos confirmabant.

DE TRISTITIA ILLORUM, ob paucitatem imitantium.

ILLVD virum Dei prædictum Abbatem *Albericum*, & nos aliquantulum mœſtitiæ ſubdidit, quod rarò quis illis diebus illuc ad eos imitandos venerit. Viri enim ſancti theſaurum virtutum cœlitùs inuentũ, ſucceſſoribus ad multorum ſalutem profuturum committere geſtiebant: ſed ferè omnes videntes & audientes vitæ eorum aſperitatem inſolitam & quaſi inauditam plus corde & corpore elongare, quã adproximare ſe eis feſtinabant, & de perſeuerantia eorum titubare non ceſſabant.

Sed

Sed Dei miſericordia, qui hanc iuſtitiam ſpiritualem ſuis inſpirauit, ad multorum profectum egregiè eam amplificare & cõſummare non ceſſauit, ſicut ſequentia declarabunt.

DE MORTE ALBERICI ABBATIS, & de promotione Stephani, & de inſtitutis ac lætitia eorum.

Albericus II. Abbas Ciſtercienſ. moritur.

VIR autem Domini *Albericus* in ſchola Chriſti per nouem annos & dimidium regulari diſciplina feliciter exercitatus, migrauit ad Dominum, fide & virtute glorioſus, vitâ æternâ meritò beandus. Huic ſucceſsit quidam frater *Stephanus* nomine, Anglicus natione, qui & ipſe cum alijs de Moliſmo illuc aduenerat, quiq; amator regulæ & loci erat. Huius temporibus introduxerunt fratres vna cum eodem Abbate, ne Dux illius terrę ſeu alius aliquis Princeps, curiam ſuam aliquo tempore in illa Eccleſia tenerent, ſicut antea in ſolemnitatibus agere ſolebant. Deindè ne quid in domo Dei, in qua die ac nocte deuotè ſeruire cupiebant, remaneret, quod ſuperbiam aut ſuperfluitatem redoleret, aut paupertatem, cuſtodem virtutum, quam ſponte legerant, aliquando corrumperet. Confirmauerunt, ne retinerent cruces aureas, ſeu argenteas, niſi tantummodò ligneas coloribus

S. Stephanus III.[s] *Abbas: de quo Martyrol. Rom. 16. April.*

floribus depictas; neq; candelabra niſi vnũ ferreum, neque thuribula niſi cuprea vel ferrea; neque caſulas niſi de fuſtaneo, vel lino, ſine pallio, auroque & argento, neque albas, vel amictus niſi de lino, ſimiliter ſine pallio, auro & argento. Pallia verò omnia & cappas, atque dalmaticas, tunicaſque ex toto dimiſerunt. Sed calices argenteos, non aureos, ſed ſi fieri potuerit deauratos, & *fiſtulam* argenteam, & ſi poſsibile fuerit deauratam; ſtolas quoque ac manipulos de pallio tantum ſine auro & argẽto retinuerunt. Pallæ autem altarium, vt de lino fierent, & ſine pictura, planè præcipiebant: & vt ampullæ vinariæ ſine auro & argento eſſent. In illis diebus, in terris, vineis, ac pratis, curtibusque eadem Eccleſia creuit, nec religione decreuit. Ergo iſtis temporibus viſitauit Deus locum, viſcera miſericordiæ ſuæ effundens ſuper ſe petentes, ad ſe clamantes, coram ſe lacrymantes, diu ac nocte longa profundaque ſuſpiria trahentes, & dolentes, quòd ſucceſſoribus pœnè carerent. Nam tot clericos litteratos, & nobiles laicos, etiam in ſæculo potentes, vno tempore ad illam Dei gratiæ tranſmiſit Eccleſiam, vt triginta ſimul in cellam nouitiorum alacriter intrarẽt, ac benè contra propria vitia, & incitamenta malignorum ſpirituum, fortiterq; decertando, curſum ſuum

Fiſtulam ad ſumẽdum per eam ſacrum ſanguinem à cõmunicantibus laicis, quę tunc adhuc liberum erat, vt patet ex vſibus ordinis huius. Poſteaquam verò ob Huſſitarũ turbas vſus alterius ſpeciei interdictus eſt, exoleuit quoque vſus fiſtulæ.

D. S. Bernardo eiuſque ſocijs ſermo eſſe videtur.

ſuum conſummarent; quorum exemplo ſenes & iuuenes, diuerſæque ætatis homines, in diuerſis mundi partibus animati, videntes ſcilicet in iſtis poſsibile fore, quod antea impoſsibile in cuſtodienda regula formidabant, illuc cōcurrere, ſuperba colla iugo Chriſti ſuaui ſubdere, dura & aſpera regulæ præcepta ardenter amare, Eccleſiamque illam notabiliter lętificare ac corroborare cœperunt.

Abhinc Abbatias in diuerſis Epiſcopatibus ordinauerunt, quæ tam larga potentique benedictione Domini in dies creſcebant, vt infrà octo annos, inter illos qui de Ciſtertienſi cœnobio ſpecialiter fuerant egreſsi, & cæteros, qui ex eiſdem fuerant exorti, duodecim cœnobia conſtructa fuerint inuenta.

Infrà annos 20. dicunt alij. Vide an. 1107.

Hactenus ex veteri hiſtoria de exordio ordinis ac cœnobij Ciſtertienſis, à primis Patribus Ciſtertienſibus conſcripta: quam viſum fuit publicare, ne tam illuſtre antiquitatis monumentum monaſticis in clauſtris perpetuò deliteſceret. Vtinam verò quis inſtituti Ciſtertienſis monachus, aut alius publicet librum, de origine & viris illuſtribus Ordinis Ciſtertienſis, qui multis in cœnobiis exſtat manuſcriptus: Scio delicatis quibuſdam hominibus hæc talia ob verborum ſcabritiem, in illo æuo fami-

ſamiliarem non ſapere: ſed meminerint illi veteris illius dicti: *Hiſtoria omnium ætatum auctores & fert & deſiderat*, &, *Ab alijs rerum, ab alijs verborũ doctrina, quærenda eſt.*

Cæterùm Stephano III. Abbati Ciſtertienſi defuncto ſuffectum ſcribunt nonnulli *Vuidonem*, ſiue Guidonem. Sed Robertus Sigeberti Continuator, ſcribit Rainaldus IV. fuiſſe Abbatem Ciſtertienſem, & anno 1151. defunctus.

De Guidone alio Abbate Ciſtercienſi, & Summi Pontificis Legato, vide infrà anno 1201.

Anno 1107. Obiit venerabilis *Albericus* Abbas Secundus Ciſtertienſis, vt teſtatur Robertus Abbas Mõtis S. Michaëlis de periculo maris, in Britannia minore, Ordinis S. Benedicti, qui Chronicon Sigeberti Gẽblacenſis continuauit, & illud ipſum multis interiectis auxit & interpolauit. *Albericus II. Abbas Ciſterciẽſis moritur.*

ALBERICVS, *inquit*, Abbas Ciſtertij ſupernæ vocationis brauiũ, ad quod ibidem per nouem annos non in vacuum cucurrit, decimo apprehendit. Cui ſucceſsit Dominus *Stephanus*, homo natione Anglicus, religionis, paupertatis, diſciplinæq; regularis ardentiſsimus amator, fideliſsimus æmulator. In huius diebus verè verum eſſe patuit, quod ſcriptum eſt; *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum.* Nam puſillus *Stephanus cognomento Hardingus ſuccedit.*

puſillus grex hoc ſolùm plangeret, quòd puſillus eſſet: hoc ſolùm, inquam, metuerent, & metuerent vſque ad deſperationem penè Chriſti pauperes, ſuæ ſe non poſſe relinquere paupertatis hæredes. Vicinis quippe hominibus vitæ quidem in eis honorantibus ſanctitatem, ſed abhorrentibus auſteritatem, & ita reſilientibus ab eorum imitatione, quibus appropinquabãt deuotione, DEVS, cui facile eſt de exiguis magna, de paucis facere multa, multorũ præter ſpem ad ipſorum imitationem excitauit corda, ita, vt in cella probãdi, nouitiorũ tàm clerici quã laici, & ipſi ſecundũ nobiles atq; potentes, triginta pariter cohabitarẽt. Ex qua cælica viſitatione tam ſubita & læta, lætari non immeritò iam tandem cœpit ſterilis quę non parturiebat; quoniam multi facti ſunt filij deſertæ: nec ceſſauit eis DEVS indies multiplicare gentem, magnificare lætitiam, donec tam ſuis quàm filiorum ſuorum, viginti infrà annos, circiter duodecim de ſolis Patribus monaſteriorũ, tanquã nouella oliuarum, in circuitu menſę ſuæ læta conſpiceret mater. Non enim arbitrata eſt incongruum, ſi ſancti Patris Benedicti, cuius amplectebatur inſtituta, imitaretur & exempla.

XII cænobia monachorum ordin. Ciſtercienſ. intra annos 20. ſunt ædificata. Alij dicũt intra annos 8.

Porrò à principio, cùm nouos in ramos nouella cœpiſſet pullulare plantatio, venerabi-

rabilis Pater *Stephanus* ſagacitate peruigili, miræ prouiderat diſcretionis ſcriptum, tanquam putationis ferramentum, ad præſcindendos videlicet ſchiſmatum ſurculos, quicunque ſuccreſcentes mutuæ pacis exoriturum pręfocare poterant fructum. vnde & ſcriptũ illud, *Chartam Caritatis* competenter voluit nominari; quòd ea tantùm quæ ſunt caritatis, tota eius ſeries redoleat; ità vt pœnè nihil aliud vbique proſequi videatur, quàm, *Nemini quidquam debeatis, niſi inuicem diligatis.* Quæ quidem Charta, ſicut ab eodem Patre digeſta, & à XX. Abbatibus confirmata, ſigilli quoque Apoſtolici auctoritate munita eſt, largiùs continet ea quæ diximus. Ita Robertus Abbas nigrorum monachorum Benedictinorum S.Michaëlis in Britannia, ſiue alius quiſpiã, qui Sigeberti Chronicon multis interpoſitis auxit. *Charta Charitatis.*

Sunt qui tradant hanc Caritatis Chartam anno 1107. ab Vrbano II. Papa confirmatam, procurante Stephano Hardingo Abbato III. Ciſtertienſi. Diploma nondũ vidi, nec exſtat in codice Priuilegiorum Ord. Ciſtertienſis, Diuione an. 1491. editum. Exſtat autem in dicto codice diploma ſiue Bulla Eugenij III. Papæ anno milleſimo centeſimo quinquageſimoſecundo, data, qua dictã Chartam Caritatis, & con-

 ſuetu-

ſuetudines ac ſtatuta ordinis Ciſtertienſis confirmauit.

S Bernardus fit monachus Ciſtertij.

Anno 1113. *Bernardus* annos natus circiter XXII. Ciſtertium ingreſſus eſt cum ſocijs amplius quàm XXX. ſub Abbate *Stephano*, qui ſucceſſerat Alberico. Vbi quantæ deuotionis quantique feruoris exſtiterit, lingua vix exprimit. Si quidem ab ipſo ingreſſu tanta diſtrictione corpus affligere ſtuduit, vt tota deinceps vita ſua infirmitate multiplici laborauerit. Factum eſt autem poſt breue tempus, vt Ciſtertiẽſis Eccleſia tam rebus & gente pauper quã tempore, nouam de cætero Domini benedictionem perciperet, & quæ prius ſterilis erat, plures iam & præcipuas Abbatias parturiret. Prima ſiquidem *Firmitas* fuit, *Pontiniacum* III. *Clarauallis* IV. *Morimundus* V. *Pulliacum*, ex quibus aliæ innumeræ diuerſis locis, diuerſis ſunt temporibus propagatæ.

Firmitas. Pontiniacum. Claravallis. Morimũdus. Pulliacũ.

Ita Robertus monachus Altiſſiodorenſis (aliis Antiſiodorenſis vel Autiſiodorenſis) in ſua Chronologia Trecis in Gallia anno milleſimo ſexcenteſimo nono edita.

Pontiniacum.

Anno 1114. *Pontiniacenſe* cœnobium fundatũ eſt in alodio Hildeberti Canonici Antiſſiodorenſis matris Eccleſiæ, eodem Hildeberto rogãte, ſub Vmbaldo venerabili

bili Epiſcopo tūc Antiſsiodoro præſidente. Huius cœnobij primus Abbas exſtitit Dominus *Hugo* vir religionis eximiæ & præcipuæ honeſtatis. Eodem anno *Claraualli*s fundata eſt, cuius primus Abbas exſtitit ſeruus Dei *Bernardus*, vir opinaniſsima ſanctitate præclarus, per quem ſui temporis Eccleſia in antiquum religionis decus refloruit. Ita Robertus Altiſsiodorenſis. Alij dicunt Claram Vallem anno 1115. fundatam eſſe. Eſt autem Sanctus Bernardus natus Fontanis, qui pagus eſt, vulgò *Fontaine* dictus, ſecundo lapide à Diuione, metropoli Ducatus Burgundiæ. Viſitur ibidem hodieque arx, in qua natus eſt. Ciſtertium verò diſtat quarto ferè miliari, à Diuione, vulgò *Dijon*. *Clara Vallis.*

Claram Vallem anno 1115. fundatam diſertè ſcribit Cæſarius Dialogorum lib. 1. cap. 1. & alij paſsim.

Anno 1118. fundatas lego aliquot Abbatias, vt *Pruliacū* in diœceſi Senonenſi, *Sauiniacū* in Normannia, *Tres Fontes* in d. Catalaunēſi, & *Curiam Dei* in d. Aurelianenſi.

His ferè temporibus ab Alfonſo Arragoniæ Rege vrbs Nonna ædificari cœpta eſt, *Montis Regalis* nomine, vt pro munimento eſſet aduerſus Mauros Valētinos. Quæ vrbs poſtea Sancti Bernardi hortatu, Templarijs militibus, exſtructo dotatoq;

cœnobio, abs Rege eſt contributa. Hoc initium Templarijs in Hiſpania fuit. Vide Marianam Rerum Hiſpan. lib. 10. cap. 10.

Anno 1119. fundata eſt *Bona Vallis* in D. Viemenſi in Gallia, *Bella Vallis* in D. Veſontionenſi, *Fontinetum* in Burgundia, & Abbatia *Boni Radij*.

Anno 1119. Calliſtus II. Papa priuilegio munire voluit ſuos, quos magnopere diligebat, Ciſtertienſes; quod ſic habet.

Calliſtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſsimis in Chriſto filijs Stephano venerabili Ciſtertiẽſis monaſterij Abbati, & eius fratribus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ad hoc in Apoſtolicæ Sedis regimen, Domino diſponente, promoti conſpicimur, vt ipſo præſtante religionem augere, & quæ rectè atque ad ſalutem animarum ſtatuta ſunt, noſtri debeamus auctoritate officij ſtabilire. Idcircò filij in Chriſto chariſsimi, petitioni veſtræ charitate debita impertimur aſſenſum, & religioni veſtræ paterno congratulantes adfectu, Dei operi quod cœpiſtis, manum noſtræ confirmationis apponimus. Siquidem conſenſu & deliberatione communi Abbatum, & fratrum monaſteriorum veſtrorum, & Epiſcoporum, in quorum parochijs eadem monaſteria continentur, quædam de obſerua-

ſeruatione Regulæ beati Benedicti, & de alijs nonnullis, quæ Ordini veſtro, & loco neceſſaria videbantur, capitula ſtatuiſtis: quæ nimirum ad maiorem monaſterij quietem:& religionis obſeruantiam auctoritate Sedis Apoſtolicæ petitis confirmari. Nos ergo veſtro in Domino profectui congaudentes, capitula illa & conſtitutiones auctoritate Apoſtolicâ confirmamus,& omnia in perpetuum rata permanere decernimus. Illud nominatim omnimodò prohibentes, ne Abbatum aliquis monachos veſtros ſine regulari commendatione ſuſcipiat. Si quæ igitur Eccleſiaſtica,ſæcularisve perſona noſtræ conformationi & conſtitutioni veſtræ, temeritate aliqua obuiare præſumpſerit, tanquam religionis,& quietis monaſticæ perturbatrix auctoritate Beatorum Petri & Pauli,& noſtra,donec ſatisfaciat, excommunicationis gladio feriatur. Qui verò conſeruator extiterit,omnipotentis Dei & Apoſtolorum eius benedictionem & gratiam conſequatur. Interdicimus autem ne quis conuerſos laicos profeſſos veſtros ad habitãdum ſuſcipiat. Ergò Calliſtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus confirmaui & ſubſcripſi. Datum Sodoloci per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis Bibliothecarij decimo Kalen. Ianuarij, Indictione XII. Incarna-

tionis Dominicæ milleſimo centeſimo decimo nono, Pontificatus autem Domini Calliſti Secundi Papæ anno I.

Anno 1120. Altiſiodorẽſem regebat Eccleſiam *Hugo*, S. Germani primus Abbas, S. Hugonis Cluniacenſis Abbatis nepos, vir pro virtutum ſuarum inſignibus perpetuò memorandus. Hic ordinem Ciſtertienſem qui tunc temporis adhuc recens erat, dulciſsima viſitatione frequentabat, & iuxta facultatem ſuam ei in multis neceſſaria miniſtrabat. Suo enim tempore eiuſdem ordinis Abbatiæ, *Regniacum*, *Rupes*, *Bonus Radius* fundationis habuerunt initium, & per manus eius, tum in miniſtrando neceſsitatibus eorum, tum in acquirendo poſſeſsiones, non modicum incrementum. Ita Robertus in Chronico Altiſiodorenſi.

Regniacum. Rupes. Bonus Radius, vulgò Boras.

Pomariũ.

Viuebat his temporibus Cuno Epiſcopus Argentinenſis, qui cum nonnullis è nobilitate Argentinẽſi, dicitur ædificaſſe monaſterium S. Bernardi in Pomario, vulgò *Baumgarden*: vt tradit Franciſcus Guillimannus in hiſtoria Epiſcoporum Argent.

Fuſinacũ.

Anno 1121. fundatur *Fuſinacum* in diœceſi Laudunenſi, *Bonus locus* in d. Lemonicenſi, *Oratorium* in d. Andegauenſi, & Abbatia *de Eleemoſynis* in d. Carnotenſi.

Anno 1122. Fredericus I. Archiepiſcopus Colo-

Colonienſis fundauit in ſua diœceſi Abbatiam *Veteris Campi*, primo Abbate Henrico cum XII. fratribus ex Morimundenſi cœnobio euocato: vt tradit Chronicon eius monaſterij, Ioannes Ditmarus & alij. *Vetus campus in d. Colonienſi.*

Huius celeberrimi Monaſterij Abbati parent circiter ſeptuaginta, tam virorum quàm fœminarum cœnobia, per VVeſtphaliam & inferiorem Germaniam, numeranturq; à die fundationis vſque ad annum Domini 1613. Abbates trigintaſeptem, quorum penultimus Godefridus Draeck, monaſterio per bellorum violentiam deſerto, magna prudentia & diligentia, difficillimis temporibus, nihilominus ſuis proſpexit. Crebris quoque & periculoſis itineribus, licet imbecillo corpore, non tamen animo, ſuſceptis, hoc ſedulò curauit, vt in omnibus monaſterijs ſuæ curæ & viſitationi commiſsis, monaſtica diſciplina quàm optimè conſeruaretur. Præfuit annos circiter triginta, relinquens ſucceſſorem D. Carolum æquè prudentem & ſedulum.

Anno 1124. fundatur *Bona Vallis* in d. Pictauienſi, & *Fons Sancti Ioannis* in d. Senonenſi.

Anno 1126. *Ebracum*, Abbatia diœceſis Herbipolenſis fundatur à *Bernone* & *Richonino*, fratribus, viris nobilibus: teſte *Ebracum in d. Herbipolenſi.*

Gaſpare Bruſchio in Chronologia monaſteriorum Germaniæ. Idem tradit ex hoc loco olim monachos euocatos ad *S. Gothardi* Abbatiam in Hungaria, *Runam*, *Alderſpachium*, *S. Crucis* monaſterium in Auſtria, *Pelliſium* in Hungaria, & alia alibi cœnobia gubernanda. Bruſchium ipſum loquentem audiamus.

Opulentiſſimum iſtud cænobium in Oſtrofrancis, quarto lapide à Schueinfordia ſitum, fundatur an. 1126. á Bernone & Richouio, Equitibus fratribus, qui an. 1119. conſentiente ſorore ANNO 1119. *Berthilde, hoc caſtrum ſuum Ebraulatronum olim ſpeluncam, in domum precationis conuertere ſtatuerant.*

Horum tumulus ſpectatur in laterali S. Michaelis ſacello. Solent & in hoc cænobio condi Epiſcoporum Herbipolenſium corda, corporibus poſt obitum exſecta.

Eſt hic etiam ſepulta Gertrudis Imperatrix Conradi III. coniux, quæ cum marito ſuo plurima huic Monaſterio beneficia contulit, vt ſecundarij fundatores meritò habeantur; vnà cum filio Frederico Sueuorum Duce, hic pariter ſepulto.

Habet huius loci Abbas ſuæ curæ ac viſitationi commiſſas, ſeptem potentes monachorum Abbatias; videlicet:

Runam, in Styria, aut Tirolenſi Comitatu, apud Græczium;

Lan-

Lanckenheimium, in Voitlandia;

Fontem Salutis, in Marchionatu Brandeburgenſi.

Nepomungum, in Bohemia.

Alderſpachium, in Bauaris.

Bildhuſam, in Rhomenſi ditione, Oſtrofrancis & Haſsis vicina, *VVillersheymium*.

Monialium verò tres Abbatias;

Portam cœli, apud Herbipolim.

Schonauium, in ſilua Odonis.

Pirckenfeldam, apud Neoſtadium.

Primus huius loci Abbas fuit Adamus vir bonus & ſapiens, cuius S. Bernardus Abbas Claræuallen. in epiſtolis meminit. Huic & iſtæ aliæ decem iam dictæ Abbatiæ, in Germania eodem ferè tempore inſtitutæ, tanquam Patri ac primario inſpectori ſunt commiſſæ.

Octauus Abbas VVinricus præfuit an. 1282. qui Herbipoli, in celebri id temporis Academia, collegium ſiue domum ſtudij, vt nuncupant, Ciſtertienſis inſtituti ſodalibus erexit. Quod collegium Ioannes Abbas Ciſtertienſis an. 1284. confirmauit, & ijſdem, quibus Pariſienſe, priuilegijs donauit. *Collegium Herbipolenſe.*

Sic poſtea ſub Petro Abbate XIIII. cùm Academia Heidelbergenſis à Ruperto Palatino Rheni an 1394. eſſet inſtituta, domus S. Iacobi, extra muros Heidelbergenſes ſita, ad Ebracenſem Abbatiam ſpectans, in collegium ſtudioſo-

rum ordinis Ciſtertienſis eſt conuerſum: Ita Bruſchius.

ANNO 1127. Anno 1127. fundata eſt Abbatia Bellibeci in Normannia.

ANNO 1128. Anno 1128. Trecis in Gallia habitum eſt Concilium à plurimis Epiſcopis & Abbatibus, ordinis prǽſertim Ciſtertiẽſis, vt à Stephano Ciſtertienſi, Hugone Pontiniacenſi, Bernardo Clarevallenſi & alijs. In quo Cõcilio Militibus ſiue Equitibus Templarijs Regula & veſtis alba eſt adſignata. Meminit huius Concilij Guil. Tyrius libr. 12. de bello ſacro cap. 7. ſed perperam ibi, vt & in Tomis Cõciliorum à Seuerino Binio Coloniæ editis, legitur *Concilium Cretẽſe*, pro, *Trecenſe*. Idem Binius, auctoritatem Baronij ſecutus, hoc Concilium anno 1127. celebratũ tradit, ex Guilielmo Tyrio malè, vt arbitror, intellecto. Cæterùm cum Pariſijs anno 1610. negotiorum cauſſa verſarer, in bibliotheca monaſterij S. Victoris ad muros vrbis Pariſienſis, incidi in ipſam Templariorum Regulam, typis nondum editam. Quam quidem, vtpotè à *S. Bernardo* Abbate Clarevallenſi (vt ex Prologo patet) dictatam, operæ pretium huic Chronico inſerere. Exſtat eiuſdem S. Bernardi Sermo ad milites Templi.

REGV-

Digitized by Google

REGVLA PAVPERVM COMmilitonum Chriſti, Templiq́ue Salomonici.

PROLOGVS.

OMNIBVS in primis ſermo noſter dirigitur, quicunque proprias voluntates ſequi contemnunt, & ſummo ac vero Regi militare animi puritate cupiunt, vt obedientiæ armaturam pręclarā aſſumere, intentiſsima cura implendo præoptent, & perſeuerando impleant. Hortamur itaque, qui vſque nunc militiam ſecularem, in qua Chriſtus non fuit cauſa, ſed ſolo humano fauore amplexati eſtis, quatenus horum vnitati, quos Dominus ex maſſa perditionis elegit, & ad defenſionem Sanctæ Eccleſiæ gratuita pietate compoſuit, vos ſociandos perenniter feſtinetis. Ante omnia autem, quicumque es, ó Chriſti miles, tam ſanctam conuerſationem eligens, te circa profeſsionem tuam oportet puram adhibere diligentiam, ac firmam perſeuerantiam; quæ à Deo tam digna, ſancta & ſublimis eſſe dignoſcitur, vt ſi purè & perſeueranter obſeruetur, inter militantes, qui pro Chriſto animas ſuas dederunt, ſortem obtinere mereberis: In ipſa namque refloruit iam & reluxit Ordo militaris, qui deſpecto iuſtitiæ zelo, non pauperes

aut

aut Eccleſias defenſare, quod ſuum erat, ſed rapere, ſpoliare, interficere contendebant. Benè igitur nobiſcum agitur, quibus Dominus & Saluator noſter IESVS Chriſtus amicos ſuos à ciuitate Sancta in cõtinuum Franciæ & Burgundiæ direxit, qui pro noſtra ſalute, veræque fidei propagatione nõ ceſſant animas ſuas, hoſtiam Deo placentem, offerre. Nos ergo cum omni gratulatione ac fraterna pietate precibuſque Magiſtri Hugonis, in quo prædicta militia ſumpſit exordium, cum Spiritu ſancto intimante ex diuerſis Vltra-montanæ prouinciæ manſionibus in ſolennitate Sancti Hilarij anno M.CXXVIII. ab incarnato Dei Filio, ab inchoatione prædictæ militię IX. ad Trecas, Deo duce in vnum conueniens, & modum & obſeruantiam equeſtris Ordinis per ſingula capitula ex ore ipſius Magiſtri Hugonis audire meruimus ac iuxta notitiam exiguitatis noſtræ ſcientiæ, quod nobis videbatur abſurdum, omneq; quod in præſenti cõcilio nequiuit eſſe nobis memorabiliter relatum ac computatum, non leuitate, ſed cõſultè prouidentiæ & diſcretioni venerabilis Patris noſtri Honorij, ac inclyti Patriarchæ Hieroſolymitani Stephani fertilitate ac neceſſitate non ignari orientalis religionis, nec non pauperum commilitonum Chriſti, conſilio commu-

nis

nis capituli vnanimiter commendauimus. Sanè autem prorſus licet noſtri dictaminis auctoritate, permaximus numerus religioſorum Patrum, qui in illo concilio diuina ammonitione conuenerunt, commendat, non debemus ſilenter tranſire, quibus videntibus & veras ſententias proferentibus, ego *Ioannes Michaelenſis* præſentis paginæ, iuſſu Concilij, ac venerabilis * Abbatis Clareuallenſis, cui creditum ac debitū hoc erat, humilis ſcriba eſſe diuinâ gratiâ merui.

* *S. Bernardū intellige.*

NOMINA PATRVM RESIDENtium in Concilio Trecenſi.

PRIMVS quidem reſedit *Matthæus*, Albanenſis Epiſcopus, Dei gratiâ S.R.E. Legatus: Deinde *Rainaldus*, Archiepiſcopus Remenſis: Tertius *Henricus*, Archiepiſcopus Senonenſis. De hinc Coëpiſcopi eorum, *Ranckedus* Carnotenſis Epiſcopus, *Goſſenus* Sueſsionum Epiſcopus; Epiſcopus Pariſienſis; Epiſcopus Trecenſis; Præſul Aurelianenſis; Epiſcopus Antiſiodorenſis; Epiſcopus Meldenſis; Epiſcopus Latalaunenſis; Epiſcopus Laudunenſis; Epiſcopus Beluacenſis; Abbas Vezelacēſis, qui non multo pòſt factus eſt Lugdunenſis Archiepiſcopus, ac S.R.E. Legatus. Abbas Ciſtertienſis; Abbas Pontiniacenſis; Abbas trium fontium; Abbas S. Dionyſij de Remis;

Huius Concilij meminit Tyrius li. 12. hiſt. belli ſacri cap. 7.

mis; Abbas S.Stephani de Diuione; Abbas Moleſ. ſuprà nominatus Abbas, Bernard. Clareuallenſis non defuit, cuius ſentẽtiam præſcripti liberâ voce collaudabant. Fuerunt aũt & Magiſter Albericus Remẽſis, & Magiſter Fulgerius, ac complures alij, quos longum eſſet enumerare. Cęterùm verò de nõ litteratis idoneum nobis videtur, vt teſtes, amatores veritatis adducantur in medium: Comes Theobandus, Comesq; Niuernenſis, ac Andreas de Bandionento, intentiſsima cura quod erat optimũ ſcrutantes; quod eis videbatur abſurdũt, emperantes, in Concilio ſic aſsiſtebant. Ipſe verò Magiſter militiæ, Hugo nomine, reuerà nõ defuit, & quoſdã de fratribus ſuis ſecũ habuit, verbi gratia: F.Godefridũ, F.Rorallum, F.Gaufridum Biſol. F. Paganum de monte Deſiderij. Archembaudum de Sancto Amano. Iſte verò Magiſter Hugo cum iſtis diſcipulis modum & obſeruãtiam exiguæ inchoationis ſui militaris Ordinis, qui ab illo, qui dicit: Ego principium, qui & loquor vobis; ſumpſit exordium, iuxta memoriæ ſuæ notitiam ſupranominatis Patribus intimauit. Placuit itaq; Concilio, vt conſilium, ibi limâ & conſideratione diuinarum ſcripturarum diligẽter examinatum, tamen cum prouidentia Papæ Romanorum, ac Patriarchæ Hieroſolymitarum,

Digitized by Google

rum, nec non etiam aſſenſu Capituli paupe-
rum commilitonum Templi, quod eſt in Ieruſalem, ſcripto commendaretur, ne obliuioni traderetur, & inenodabiliter ſeruaretur, vt recto curſu ad ſuum conditorem, cuius dulcedo tam mel ſuperat, vt ei comparatum velut abſynthium ſit amariſſimum, peruenire dignè mereātur: præſtante, cui militant, & militare queant, per infinita ſæculorum ſæcula, Amen.

INCIPIT REGVLA PAVPERVM COMMILITONVM Sanctæ ciuitatis.

QVALITER DIVINVM OFFIcium audiant.

VOs quidem, proprijs voluntatibus abrenunciantes; atque alij, pro animarum ſalute vobiſcum ad terminū cum equis & armis ſummo Regi militātes, Matutinas, & omne ſeruitium integrum ſecundùm canonicam inſtitutioné, ac regulariū doctorum ſanctæ ciuitatis conſuetudinem pio ac puro affectu audire vniuerſaliter ſtudeatis. Idcircò vobis, venerabiles, Fratres maximè debetur, quia præſentis vitæ luce deſpecta, contemptoq; veſtrorū corporum cruciatu, ſæuientem mundum pro

pro Dei amore vileſcere perenniter promiſiſtis, diuino cibo refecti ac ſatiati, & dominicis prȩceptis eruditi & firmati, poſt myſterij diuini conſummationem nullus paueſcat ad pugnam, ſed paratus ſit ad coronam.

2. *QVOT ORATIONES DOMINIcas, ſi audire nequierint, dicant.*

CAETERVM ſi aliquis frater negotio Orientalis chriſtianitatis fortè remotus, quod ſæpiùs eueniſſe non dubitamus, & pro tali abſentia Dei ſeruitium non audierit, pro Matutinis XIII. orationes Dominicas, ac pro ſingulis Horis, ſeptem; ſed pro Veſperis IX. dicere collaudamus, ac libera voce vnanimiter affirmamus: iſti etenim in ſalutifero labore ita directi, non poſſunt accurrere hora competenti ad diuinum Officium; ſed ſi fieri poteſt, horæ conſtitutæ non prætereant ante inſtitutum debitum.

3. *QVID AGENDVM PRO FRATRIbus defunctis.*

QVANDO verò quilibet fratrum remanentium morti, quæ nulli parcit, impendet, quod eſt impoſsibile auferri, Capellanis ac Clericis vobiſcū ad terminum caritatiuè ſummo Sacerdoti ſeruientibus,

tibus, creditum officium & Miſſam ſolenniter pro eius anima, Chriſto animi puritate iubemus offerre: fratres autẽ ibi aſtantes, & in orationibus pro fratris defuncti ſalute pernoctantes; centum orationes Dominicas vſque ad diem ſeptimum pro fratre defuncto perſoluant; ab illo die, quo eis obitus fratris denunciatus fuerit, vſque ad prædictum diem, cẽtenarius numerus perfectionis integritatem cum fraterna obſeruatione habeat. Adhuc nempè diuina ac miſericordia charitate deprecamur, atque paſtorali autoritate iubemus, vt quotidie, ſicuti fratri in vicibus dabatur & debetur, ita quod eſt neceſſarium ſuſtentationi huius vitæ in cibo & potu tantùm, cuidã pauperi, donec ad quadrageſimum diem impendatur. Omnes enim alias oblationes, quas in morte fratrum & in Paſchali ſolennitate, cæteriſque ſolemnitatibus, Domino pauperum commilitonum Chriſti ſpontanea paupertas indiſcretè reddere conſueuerat, omninò prohibemus.

CAPELLANI VICTVM ET VEſtitum tantum habeant. 4.

ALIAS verò oblationes & omnia eleemoſynarũ genera, quoquo modo fiãt, Capellanis, vel alijs ad tempus manentibus, vnitati communis Capituli reddere

dere peruigili cura præcipimus. Seruitores itaque Eccleſiæ victum & amictum ſecundùm autoritatem tantùm habeant, & nihil ampliùs habere præſumant, niſi Magiſtri ſponte charitatiuè dederint.

6. *DE MILITIBVS DEFVNCTIS qui ſunt ad terminum.*

Sunt namque milites in domo Dei, Templique Salomonis ad terminum miſericorditer nobiſcum degentes; vnde ineffabili miſeratione vos rogamus, deprecamur, & ad vltimum obnixè iubemus, vt interim tremenda poteſtas ad vltimum diem aliquem perduxerit, diuino amore ac fraterna pietate, ſeptem dies ſuſtentationis, pro anima eius, quidam pauper habeat.

7. *VT NVLLVS FRATER REMAnens oblationem faciat.*

Decreuimus, vt superiùs dictum eſt, quòd nullus fratrum remanentium aliam oblationem agere præſumat: ſed die noctuque mundo corde, in ſua profeſsione maneat, vt ſapientiſsimo Prophetarum in hoc ſe æquipollere valeat: Calicem ſalutaris accipiam, & in morte mea, mortem Domini imitabor: quia ſicut Chriſtus pro me animam ſuam poſuit, ita & ego pro fratribus animam ponere ſum paratus. Ecce com-

competentem oblationem : ecce hoſtiam viuentem Deoque placentem.

DE IMMODERATA STAtione. 7.

Quod autem auribus noſtris veriſsimus teſtis inſonuit, videlicet immoderata ſtatione & ſine menſura ſtando diuinum officium vos audire : ita fieri non præcipimus, imò vituperamus; ſed finito Pſalmo, & venite exultemus Domino, cum Inuitatorio & Hymno, omnes ſedere tam fortes quàm debiles, propter ſcandalum euitandum, nos iubemus. Vobis verò reſidentibus, vnoquoque Pſalmo finito, in recitatione Gloria Patri, de ſedibus veſtris ad altaria ſupplicando, ob reuerentiam ſanctę Trinitatis ibi nominatè ſurgere, & debilibus inclinare demonſtramus. Sic etiam in recitatione Euangelij, & ad Te Deum laudamus, & per totas laudes, donec finito Benedicamus Domino, ſtare adſcribimus, & eandem Regulam in matutinis ſanctæ Mariæ teneri iubemus.

DE REFECTIONE CONuentus. 8.

In vno quidem Palatio, ſed meliùs dicitur Refectorio, communiter vos cibum accipere credimus, vbi, quando aliquid neceſſarium fuerit, pro ſignorum ignoran-

tia, leniter ac priuatum quærere oportet. Si omni tempore, quæ vobis neceſſaria ſunt, quærēda ſunt, cum omni humilitate & ſubiectione reuerentiæ potiùs ad mēſam, cum Apoſtolis dicat: Panem tuum cum ſilentio manduca; & Pſalmiſta vos animare debet, dicens: Poſui ori meo cuſtodiam, id eſt, apud me deliberaui, vt non delinquerem, id eſt, lingua; id eſt, cuſtodiam os meum, ne malè loquerer.

9. *DE LECTIONE.*

IN prandio & cœna ſemper ſit ſancta lectio recitata. Si Dominum diligimus, ſalutifera eius verba atque præcepta intentiſsima aure deſiderare debemus. Lector autem Lectionum vobis indicat ſilentium.

10. *DE CARNIS REFECTIONE.*

In hebdomada namque, niſi Natalis dies Domini, vel Paſcha vel feſtum Sanctæ Mariæ, aut omnium Sanctorum euenerit, vobis ter refectio carnis ſufficiat; quia aſſueta carnis comeſtio, intelligitur honoroſa corruptio corporum. Si verò in die Martis tale ieiuniū euenerit, vt eſus carnium retrahatur, in craſtino abundāter vobis impendatur. Die autem Dominico omnibus militibus remanētibus, nec nō Capellanis duo fercula in honorem S. Reſurrectionis bonum & idoneum indubitanter videtur. Alij autem,

autem, videlicet armigeri & clientes, vno contenti, cum gratiarum actione permaneant.

QVALITER MANDVCARE MILITES DEBEANT. 11.

Duos & duos manducare generaliter oportet, vt ſollerter vnus de altero prouideat, ne aſperitas vitæ, vel furtiua abſtinentia in omni prandio intermiſceatur. Hoc autem iuſtè iudicamus, vt vnuſquiſque miles aut frater æqualem & æquipollentem vini menſuram per ſe ſolus habeat.

VT ALIIS DIEBVS DVO AVT tria leguminum fercula ſufficiant. 12.

Aliis nam diebus, videlicet ſecunda & quarta feria, nec non & Sabbato duo aut tria leguminum vel aliorum ciborum fercula, aut vt ita dicam, cocta pulmentaria, omnibus ſufficere credimus: & ita teneri iubemus, vt, fortè qui ex vno non potuerit edere, ex alio reficiatur.

QVO CIBO SEXTA FERIA reficere oportet. 13.

Sexta autem feria cibum quadrageſimalem ob reuerétiam Paſsionis omni congregationi, remota infirmorum imbecillitate, ſemel ſufficere à feſto omnium Sanctorum vſque in Paſcha, niſi Natalis dies

Domini, vel feſtum S. Mariæ aut Apoſtolorum euenerit, collaudamus. Alio verò tempore, niſi generale ieiunium euenerit, bis reficiantur.

14. *POST REFECTIONEM SEMper gratias referant.*

Poſt prandium verò & cœnam ſemper in Eccleſia, ſi propè eſt, vel ſi ita non eſt, in eodem loco, ſummo procuratori noſtro, qui eſt Chriſtus, gratias, vt decet, cum humiliato corde referre inenodabiliter præcipimus: famulis aut pauperibus fragmenta, panibus tamen integris reſeruatis, diſtribuere fraterná charitate debent & iubentur.

15. *VT DECIMVS PANIS SEMPER Eleemoſynario detur.*

Licet paupertatis præmium, quod eſt regnum cœlorum, pauperibus procul dubio debeatur; vobis tamen quos Chriſtiana fides de illis indubitanter fatetur, decimum totius panis quotidie eleemoſynario veſtro dare iubemus.

16. *VT COLLATIO SIT IN ARBItrio Magiſtri.*

Cùm verò ſol orientalem regionem deſerit, & ad Ibernam deſcendit, audito ſigno, vt eſt eiuſdem regionis conſuetudo, omnes ad Cõpletas oportet incedere vos, ac priùs

ne priùs generalem collationẽ ſumere per-
optamus. Hanc autem collationem in diſ-
poſitione & arbitrio Magiſtri ponimus, vt
quando voluerit de aqua, & quando iube-
bit, miſericorditer ex vino tẽperato com-
petenter recipiatur. Verùm hoc non ad ni-
miam ſatietatem oportet & in luxu fieri,
ſed parciùs; quia apoſtatare etiam ſapien-
tes videmus.

VT FINIIS COMPLETIS SILEN-tium teneatur. 17.

Finitis itaque Completis, ad ſtratum ire
oportet. Fratribus igitur à Completorijs
exeuntibus nulla ſit denuò licentia loqui in
in publico, niſi neceſsitate cogente; armi-
gero autem ſuo quę dicturus eſt, leniter di-
cat. Eſt verò forſitan, vt in tali interuallo
vobis de Completorijs exeuntibus, maxi-
ma neceſsitate cogente, de militari nego-
cio, vt de ſtatu domus noſtræ, quia dies ad
hoc vobis ſufficere non creditur, cum qua-
dam fratrum parte ipſum Magiſtrum, vel
illum, cui domus dominium poſt Magi-
ſtrum eſt debitũ, oporteat loqui. Hoc aũt
ita fieri iubemus; & ideò, quia ſcriptum eſt:
In multiloquio non effugies peccatum. Et
alibi: Mores & vita in manibus linguæ. In
illo colloquio ſcurrilitates & verba ocio-
ſa ac riſum mouẽtia omninò prohibemus,
& vobis ad lectulum euntibus, Dominicam

orationem, ſi aliquis quid ſtultum eſt locutus, cum humilitate & puritatis deuotione dicere iubemus.

18. *VT FATIGATI AD MATVTINAS non ſurgant.*

Fatigatos nempè milites non ita, vt vobis eſt manifeſtum, ſurgere ad Matutinas conlaudamus; ſed aſſenſu Magiſtri, vel illius, cui creditũ fuerit à Magiſtro, eos quieſcere, & tredecim orationes conſtitutas ſic cantare, vt mens ipſorum voci concordet, iuxta illud Prophetæ: Pſallite Domino ſapienter. Et illud: In conſpectu Angelorum pſallam tibi; vos vnanimes conlaudamus. Hoc autem in arbitrio Magiſtri ſemper conſiſtere debet.

19. *VT COMMVNITAS VICTVS inter fratres ſeruetur.*

Legitur in diuina pagina: Diuidebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Ideo non dicimus, vt ſit perſonarum acceptio, ſed infirmitatum debet eſſe conſideratio. Vbi autem, qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contriſtetur. Qui verò indiget, humiliter pro infirmitate, non extollatur pro miſericordia, & ita omnia membra erunt in pace. Hoc autẽ prohibemus, vt nulli immoderatam abſtinentiam amplecti liceat, ſed communem vitam inſtanter teneant.

DE

Digitized by Google

DE QVALITATE ET MODO VEſtimenti. 20.

Veſtimenta autem vnius coloris ſemper eſſe iubemus, verbi gratia, Alba vel nigra, vel vt ita dicam, burella. Omnibus aũt militibus profeſsis in hyeme & in æſtate, ſi fieri poteſt, alba veſtimenta concedimus, vt qui tenebroſam vitam poſtpoſuerint, per liquidam & albam ſuo conditori ſe reconciliari agnoſcant. Quid albedo? niſi integra caſtitas. Caſtitas, ſecuritas mentis, ſanitas corporis eſt. Niſi enim vnuſquiſque miles caſtus perſeuerauerit, ad perpetuam requiem venire, & Deum videre non poterit; teſtante Apoſtolo Paulo: Pacem ſectamini cum omnibus & caſtimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum. Sed quia huiuſmodi indumentum arrogantię ac ſuperfluitatis æſtimatione carere debet, talia habere omnibus iubemus, vt ſolus leniter per ſe veſtire & exuere, & calciare ac diſcalciare valeat. Procurator huius miniſterij peruigili cura hoc vitare præſumat, ne nimis longa aut nimis curta, ſed menſurata ipſis vtentibus, ſecũdùm vniuſcuiuſq; quantitatem ſuis fratribus tribuat. Accipientes itaq; noua, vetera ſemper reddãt in præſenti, reponenda in camera, vel vbi frater, cuius eſt miniſteriũ, decreuerit, propter armigeros & clientes, & quandoque pro pauperibus.

21. QVOD FAMVLI VESTIMENTA *alba, hoc eſt, pallia non habeant.*

Hoc nempè, quod erat in domo Dei ac ſuorum militum templi, ſine diſcretione ac conſilio communis Capituli, obnixè cõtradicimus, & funditus, q. quoddã vitium peculiare amputare præcipimus. Habebant enim olim famuli & armigeri alba veſtimenta, vnde veniebant damna importabilia: Surrexerunt namque in Vltramontanis partib⁹ quidam Pſeudofratres, & Coniugati & alij, dicẽtes ſe eſſe de Templo, cùm ſint de mundo. hi nempè tantas contumelias totque damna militari ordini acquiſierunt, & clientes remanẽtes plurima ſcandala oriri inde ſuperbiendo fecerunt. Habeant igitur aſsiduè nigra, ſed ſi talia non poſsint inuenire, habeant, qualia inueniri poſſunt in illa prouincia, qua degunt, aut quod vilius vnius coloris comparari poteſt, videlicet burella.

22. QVOD MILITES REMANENTES *tantùm alba habeant.*

Nulli ergo conceſſum eſt candidas chlamydes deferre, aut alba pallia habere, niſi nominatis militibus Chriſti.

23. VT PELLIBVS AGNORUM *vtantur.*

Decreuimus communi conſilio, vt nullus

lus frater remanens pelles perenniter, aut pelliciam, vel aliquid tale, quod ad vſum corporis pertineat, etiamque coopertorium, niſi agnorum vel arietum habeat.

VT VETVSTA ARMIGERIS diuidantur. 24.

Procurator vel dator pannorum omni obſeruãtia veteres ſemper armigeris & clientibus, & quandoque pauperibus fideliter æqualiterque erogare intendat.

CVPIENS OPTIMA, DETERIORA habeat. 25.

Si aliquis frater remanens ex debito aut ex motu ſuperbiæ, pulcra vel optima habere voluerit, ex tali præſumptione, procul dubio viliſsima merebitur.

VT QVANTITAS ET QVALITAS veſtimentorum ſeruetur. 26.

Quantitatem ſecundùm corporum magnitudinem largitatemque veſtimẽtorum obſeruare oportet: dator pannorum ſit in hoc curioſus.

VT DATOR PANNORVM IN primis æqualitatem ſeruet. 27.

Longitudinem, vt ſuperiùs dictum eſt, cum ęquali menſura, ne vel ſuſurronum vel comminatorũ aliquid oculus notare præſumat, Procurator fraterno intuitu cõſideret,

ret, & in omnibus ſupradictis Dei retributionem humiliter cogitet.

28. *DE SVPERFLVITATE CApillorum.*

Omnes fratres, remanentes principaliter, ita tonſos habere capillos oportet, vt regulariter ante & retrò, & ordinatè, conſiderare poſsint; & in barba, & in grennionibus eadem regula indeclinabiliter obſeruetur, ne ſuperfluitas aut facetię vitium denotetur.

29. *DE ROSTRIS ET LAQVEIS.*

De roſtris & laqueis manifeſtum eſt eſſe gentilicium. Et cùm abominabile hoc omnibus agnoſcatur, prohibemus & cõtradicimus, vt aliquis ea nõ habeat, imò prorſus careat. Alijs autem ad tempus famulantibus, roſtra & laquea, & capillorum ſuperfluitatem, & veſtium immoderatam longitudinem habere non permittimus, ſed omninò contradicimus. Seruientibus enim ſummo Conditori, munditia interiùs exteriuſque valde neceſſaria, eo ipſo atteſtante, qui ait: Eſtote mundi, quia ego mundus ſum.

30. *DE NVMERO EQVORVM ET Armigerorum.*

Vnicuique veſtrorum militũ tres equos licet habere: quia domus Dei, templique

Salo-

Digitized by Google

Salomonis eximia paupertas amplius non permittit impręſentiarum augere, niſi cum Magiſtri licentia.

NVLLVS ARMIGERVM GRATIS ſeruientem feriat. 31.

Solum a. armigerum ſingulis militibus eâdem cauſa cõcedimus; ſed ſi gratis & charitatiuè ille armiger cuiquam militi fuerit, non licet ei eum verberare, nec etiam qualibet culpa percutere.

QVALITER AD TEMPVS REMAnentes recipiantur. 32.

Omnibus militibus ſeruire IESV Chriſto animi puritate in eadem domo ad terminum cupientibus, equos in tali negocio quotidiano idoneos, & arma, & quidquid ei neceſſarium fuerit, emere fideliter iubemus. Deinde verò ex vtraque parte æqualitate ſeruata, bonũ & vtile appretiari equos iudicauimus. Habeatur itaque precium in ſcripto, ne tradatur obliuioni, & quicquid militi, vel eius equis, vel armigero erit neceſſarium, adiunctis & ferris equorum ſecundùm facultatem domus, ex eadem domo fraterna charitate impendatur. Si verò interim equos ſuos miles aliquo euentu in hoc ſeruitio amiſerit, Magiſter, prout facultas domus hoc exigit, alios adminiſtrabit. Adueniente autẽ termino repatriandi, medie-

medietatem precij ipſe miles diuino amore concedat, alteram ex communi fratrum, ſi ei placet, recipiat.

33. *QVOD NVLLVS IVXTA PROPRIAM voluntatem incedat.*

Conuenit his nempè militibus, qui nihil ſibi Chriſto charius exiſtimant, propter ſeruitium, ſecundùm quod profeſſi ſunt, & propter gloriam ſummæ beatitudinis, vel metum gehennę, vt obedientiam indeſinenter Magiſtro teneant. Tenenda eſt itaque, vt mox, vbi aliquid imperatum à Magiſtro fuerit, vel ab illo, cui Magiſter mandatum dederit, ſine mora, ac ſi diuinitus imperetur, moram pati neſciant in faciendo. De talibus enim ipſa Veritas dicit. obauditu auris obediuit mihi.

34. *SI LICET IRE PER VILLAM ſine iuſſu Magiſtri.*

Ergo hoſpitales milites propriam voluntatem relinquentes, & alios ad terminum ſeruientes, deprecamur, & firmiter eis iubemus, vt ſine Magiſtri licentia, vel cui creditum hoc fuerit, in villam ire nō præſumant, præterquam noctu ad Sepulcrum, & ad ſtationes quæ intra muros ſanctæ ciuitatis continentur.

35. *SI LICET EVM AMBVLARE ſolum.*

Hi verò ita ambulantes, nō ſine cuſtode, id eſt,

id eſt, milite aut fratre remanente, nec in die, nec in nocte iter inchoare audeant. In exercitu namq;, poſtquã hoſpitati fuerint, nullus miles vel armiger aut famulus per atria aliorũ militum, cauſa vidẽdi, vel cum aliquo loquendi ſine iuſſu, vt dictum eſt ſuperiùs, incedat. itaque conſilio affirmamus, vt in tali domo, ordinata à Deo, quòd nullus ſecundùm proprietatem militet aut quieſcat, ſed ſecundùm Magiſtri imperium totus ſe incumbat, vt illam Domini ſententiam imitari valeat, qua dicit, Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui me miſit.

VT NVLLVS NOMINATIM, QVOD ei neceſſarium erit, quærat. 36.

Hanc propriè conſuetudinem inter cætera adſcribere iubemus, & cum omni conſideratione, ob quęrẽdi vitium, teneri præcipimus. Nullus igitur frater remanens aſſignanter & nominatim equum aut equitaturam, vel arma quærere debet. Quomodo ergò? Si verò eius infirmitas, aut equorum ſuorum debilitas, vel armorum ſuorũ grauitas, talis eſſe agnoſcitur, vt ſic incedere ſit damnum commune, veniat Magiſtro, vel cui eſt debitum miniſterium poſt Magiſtrum, & cauſam vera fide & pura ei demonſtret: Inde namque in diſpoſitione Magi-

Digitized by Google

Magiſtri, vel poſt eum Procuratoris res ſe habeat.

37. *DE FRENIS ET CALCARIBVS.*

Nolumus, vt omnino aurum vel argentum, quæ ſunt diuitiæ peculiares, in frenis & pectoralibus, nec calcaribus, vel in ſtrevîs vnquam appareant, nec alicui fratri remanenti emere liceat. Si verò charitatiuè talia vetera inſtrumenta data fuerint, aurum vel argentū taliter coloretur, ne ſplendidus color vel decor cæteris arrogantia videatur. Si noua data fuerint, Magiſter de talibus quod voluerit faciat.

38. *TEGIMEN IN HASTIS ET CLYpeis non habeatur.*

Tegimen autem in clypeis & haſtis, & furellis in lanceis non habeatur, quia hoc non proficuum, imò damnum nobis omnibus intelligitur.

39. *DE LICENTIA MAGISTRI.*

Licet Magiſtro cuiquam dare equos vel arma, vel quamlibet rem cuilibet dare.

40. *DE MALA ET SACCO.*

Sacculus & mala cum firmatura non conceduntur: ſic exponentur, ne habeant abſque Magiſtri licētia, vel cui creduntur domus poſt eum negocia. in hoc præſenti capitulo Procuratores & per diuerſas prouincias

cias degentes non continentur, nec ipſe Magiſter intelligitur.

DE LEGATIONE LITTERARUM. 41.

Nullatenus cuiquam fratrum liceat à parentibus ſuis, neque à quoquam hominum, nec ſibi inuicem accipere vel dare ſine iuſſu Magiſtri vel Procuratoris. Poſtquam licentiam frater habuerit, in præſentia Magiſtri, ſi ei placet, legantur. Si verò & à parentibus ei quidquam directum fuerit, non præſumat ſuſcipere illud, niſi prius indicatum fuerit Magiſtro. In hoc autem capitulo Magiſter & domus Procuratores non continentur.

DE FABVLATIONE PROPRIARUM CULPARUM. 42.

Cùm omne verbum otioſum generare agnoſcatur peccatum, quid ipſi iactantes de proprijs culpis ante diſtrictum iudicem dicturi ſunt? Oſtendit certè Propheta; Si à bonis eloquijs propter taciturnitatem debet interdum taceri; quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet ceſſari. Vitamus igitur & audacter contradicimus, ne aliquis frater remanens, vt meliùs dicam, ſtultitias, quas in ſeculo, in militari negotio, tam enormiter egit, & carnis delectationes miſerrimarum mulierū cum fratre ſuo, vel alio aliquo, vel de alio commemorare audeat: &

ſi fortè referentem aliquem talia audierit, obmuteſcere faciat, vel quantociùs poterit, cito pede obedientiæ inde diſcedat, & olei venditori aurem cordis non præbeat.

43. *DE QVAESTV ET ACCEptione.*

Verumenimuerò, ſi aliqua res ſine quæſtu cuilibet fratri data gratis fuerit, deferat Magiſtro vel Dapifero: ſi verò aliter ſuus amicus vel parens dare, niſi ad opus ſuum, noluerit, hoc prorſus non recipiat, donec licentiam à Magiſtro ſuo habeat. At cui res data fuerit, non pigeat illi, ſi alteri datur: immò pro certo ſciat, quia ſi inde iraſcitur, contra Deum agit. In hac autem prædicta regula miniſtratores non continentur, quibus ſpecialiter hoc miniſterium debetur, & conceditur de mala & ſacco.

44. *DE MANDVCARIIS EQVOrum.*

Vtilis res eſt cunctis, hoc præceptum, à nobis conſtitutum, vt indeclinabiliter amodè teneatur. Nullus autem frater facere præſumat manducaria linea vel lanea, idcircò principaliter facta; nec habeat vlla, excepto profinello.

45. *VT CAMBIARE VEL QVAErere nullus audeat.*

Nunc aliquid reſtat, vt nullus præſumat cam-

cambiare ſua, frater cum fratre, ſine licentia Magiſtri;& aliquid quærere, niſi frater fratri,& ſit res parua, vilis, non magna.

VT NVLLVS AVEM CVM AVE capiat, nec cum capiente incedat. 46.

Quòd nullus auem cum aue accipere audeat, nos communiter iudicamus: non conuenit enim religioni, ſic cum mũdanis delectationibus inhærere, ſed Domini præcepta libenter audire, orationibus frequenter incumbere, mala ſua cum lacrymis vel gemitu quotidiè in oratione Deo confiteri. Cum homine quidem talia operante, cum accipitre, vel alia aue, nullus frater remanens hac principali cauſa ire præſumat.

VT NVLLVS FERAM ARCV vel baliſta percutiat. 47.

Cùm omni religione ire deceat, ſimpliciter;& ſine riſu, humiliter;& nõ multa verba, ſed rationabilia loqui, & non ſic clamoſa in voce: ſpecialiter iniungimus & præcipimus omni fratri profeſſo, ne in boſco cum arcu aut baliſta iaculari audeat, nec cum illo, qui hoc fecerit, ideò pergat, niſi gratia eum cuſtodiendi à perfido gentili: nec cum cane ſit auſus clamare vel garrulare; nec equum ſuum cupiditate accipiendi feram pungat.

48. *VT LEO SEMPER FEriatur.*

Nam eſt certum, quod vobis ſpecialiter creditum eſt & debitum, pro fratribus veſtris animas ponere, atque incredulos, qui ſemper Virginis filio minitantur, de terra delere. De leone enim hoc legimus, quia ipſe circuit, quærens quem deuoret; & manus eius contra omnes, omniumque manus contra eum.

49. *DE OMNI RE SVPER VOS QVAEſita, iudicium audite.*

Nouimus quidem perſecutores S. Eccleſiæ innumerabiles eſſe, & hos, qui contentionem non amant, inceſſanter crudeliusque inquietare feſtinant. In hoc igitur Concilij ſententia ſerena conſideratione pendeat, vt ſi aliquis in partibus Orientalis religionis, in quocumque alio loco ſuper vos rem aliquam quæſierit, vobis per fideles & veri amatores iudices audire iudicium præcipimus, & quod iuſtum fuerit, indeclinabiliter vobis facere præcipimus.

50. *VT HAEC REGVLA IN OMNIBVS teneatur.*

Hæc eadem regula in omnibus rebus, vobis immeritò ablatis, perenniter iubemus vt teneatur.

QVOD

QVOD LICET OMNIBVS MILItibus profeſſis terram & homines habere. 51.

Diuina, vt credimus, prouidentia à vobis in ſanctis locis ſumpſit exordium hoc genus nouum religionis, vt videlicet religionis militiam admiſceretis, & ſic religio per militiam armata procedat, hoſtem ſine culpa, feriat. Iure igitur iudicamus, cùm milites Templi dicamini, vos ipſos, ob inſigne meritum & ſpeciale probitatis, domum, terram & homines habere, & agricolas poſsidere, & iuſtè eos regere, & inſtitutum debitum vobis ſpecialiter debetur impendi.

VT DE MALE HABENTIBVS cura peruigil habeatur. 52.

Malè habentibus fratribus ſupra omnia adhibenda eſt cura peruigil, vt quaſi Chriſto eis ſeruiatur, vt illud Euangelicum, Infirmus fui, & viſitaſti me; memoriter teneatur: hi etenim diligēter ac patienter portandi ſunt, quia de talibus ſuperna retributio indubitanter acquiritur.

VT INFIRMIS NECESSARIA ſemper dentur. 53.

Procuratoribus verò infirmantium omni obſeruantia atq; peruigili cura præcipimus, vt quæcunque ſuſtentationi diuerſarum infirmitatum ſunt neceſſaria, fideliter ac dili-

genter, iuxta domum facultatem eis admi-niſtrent, v.g. carnem & volatilia, & cætera; donec ſanitati reſtituantur.

54. *VT ALTER ALTERVM AD IRAM non prouocet.*

Præcauendum nempè non modicum eſt, ne aliquis aliquem commouere ad iram prę-ſumat; quia propinquitatis & diuinæ frater-nitatis, tàm pauperes quàm potentes ſumma clementia æqualiter adſtrinxit.

55. *QVOMODO FRATRES CON-iugati habeantur.*

Fratres autem coniugatos hoc modo ha-bere vobis permittimus, vt ſi fraternitatis veſtræ beneficium & participationem pe-tunt, vterque ſuæ ſubſtantiæ portionem, & quidquid amplius acquiſierint, vnitati com-munis Capituli poſt mortem concedant, & interim honeſtam vitam exerceant, & bo-num agere fratribus ſtudeant, ſed veſte can-dida, & chlamyde alba non incedant. Si ve-rò maritus antè obierit, partem ſuam fratri-bus relinquat, & cõiux de altera vitæ ſuſten-tamentum habeat: hoc enim iniuſtum con-ſideramus, vt cum fratribus Deo caſtitatem promittentibus, fratres huiuſmodi in vna eademque domo maneant.

VT

VT AMPLIVS SORORES NON habeantur. 56.

Sorores quidem ampliùs periculoſum eſt coadunare; quia antiquus hoſtis femineo conſortio complures expulit à recto tramite paradiſi. Itaque fratres chariſsimi, vt integritatis flos inter vos ſemper appareat, hac conſuetudine amodò vti non liceat.

VT FRATRES TEMPLI CVM excommunicatis non participent. 57.

Hoc, fratres, valdè cauendum atque timendum eſt, ne aliquis ex Chriſti militibus homini excommunicato nominatim ac publicè aliquo modo ſe iungere, aut ſuas accipere præſumat, ne anathema maranatha ſimiliter fiat. Si verò interdictus tantùm fuerit, cum eo participationem habere, rem ſuam charitatiuè accipere non immeritò licebit.

QVALITER MILITES SECVLARES recipiantur. 58.

Si quis miles ex maſſa perditionis, vel aliter ſecularis ſeculo volens renunciare, veſtram communionem & vitam velit eligere, nõ ei ſtatim aſſentiãtur, ſed iuxta illud Pauli, probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt, & ſic ei ingreſſus cõcedatur. Legatur igitur Regula in eius præſentia, & ſi ipſe præceptis expoſitæ

Regulæ diligenter obtemperauerit, tunc ſi Magiſtro & fratribus eius recipere placuerit, conuocatis fratribus, deſiderium & petitionem ſuam cunctis animi puritate patefaciat: deinde verò terminus probationis in conſideratione & prouidentia Magiſtri, ſecundùm honeſtatem vitæ petentis, omnino pendeat.

59. *VT OMNES FRATRES AD SEcretum conſilium non vocentur.*

Non ſemper omnes fratres ad conſilium cõuocare iubemus, ſed quos idoneos & conſilio prouidos Magiſter cognouerit. Cùm autem de maioribus tractare voluerit, vt eſt, dare communem terram, vel de ipſo ordine diſceptare, aut fratrem recipere, tũc omnem congregationem, ſi Magiſtro placet, conuocare, eſt competens; auditoque communis Capituli cõſilio, quod melius & vtilius Magiſter conſiderauerit, illud agatur.

60. *QVOD CVM SILENTIO ORAre debeant.*

Orare fratres prout animi & corporis affectus poſtulauerit, ſtando vel ſedendo, tamen ſumma cum reuerentia, ſimpliciter, & non clamosè, vt vnus alium non conturbet, communi conſilio iubemus.

61. *VT FIDEM SERVIENTIVM accipiant.*

Agnouimus nempè complures ex diuerſis pro-

ſis prouincijs, tam clientes, quàm armigeros, pro animarum ſalute, animo feruenti ad terminum cupientes in domo noſtra mancipari. vtile eſt autem, vt fidem eorum accipiatis, ne fortè veteranus hoſtis in Dei ſeruitio aliquid furtiuè vel indecenter eis intimet, vel à bono propoſito repentè exterminet.

VT PVERI, QVAMDIV SVNT paruï, non accipiantur inter fratres Templi. 62.

Quamuis Regula ſanctorum Patrum pueros in congregatione permittat habere; nos de talibus non conlaudamus vos vnquã onerare. Qui verò filium ſuũ, vel propinquum, in militari religione perenniter dare voluerit, vſque ad annos, quibus viriliter armata manu poſsit inimicos Chriſti de terra ſancta delere, eum nutriat: dehinc ſecundùm Regulam in medio fratrum pater vel parẽtes eum ſtatuant, & ſuam petitionem cunctis patefaciant. Melius eſt enim in pueritia non vouere, quàm poſteaquam vir factus fuerit, enormiter retrahere.

VT SENES SEMPER VEnerentur. 63.

Senes autem pia conſideratione ſecundùm virium imbecillitatem ſupportare ac diligenter honorare oportet: & nullatenus in his quæ corporis ſunt neceſſaria, diſtrictè tenean-

Regulæ diligenter obtemperauerit, tunc ſi Magiſtro & fratribus eius recipere placuerit, conuocatis fratribus, deſiderium & petitionem ſuam cunctis animi puritate patefaciat: deinde verò terminus probationis in conſideratione & prouidentia Magiſtri, ſecundùm honeſtatem vitæ petentis, omnino pendeat.

59. *VT OMNES FRATRES AD SEcretum conſilium non vocentur.*

Non ſemper omnes fratres ad conſilium cõuocare iubemus, ſed quos idoneos & conſilio prouidos Magiſter cognouerit. Cùm autem de maioribus tractare voluerit, vt eſt, dare communem terram, vel de ipſo ordine diſceptare, aut fratrem recipere, tûc omnem congregationem, ſi Magiſtro placet, conuocare, eſt competens; auditoque communis Capituli cõſilio, quod melius & vtilius Magiſter conſiderauerit, illud agatur.

60. *QVOD CVM SILENTIO ORAre debeant.*

Orare fratres prout animi & corporis affectus poſtulauerit, ſtando vel ſedendo, tamen ſumma cum reuerentia, ſimpliciter, & non clamosè, vt vnus alium non conturbet, communi conſilio iubemus.

61. *VT FIDEM SERVIENTIVM accipiant.*

Agnouimus nempè complures ex diuerſis pro-

ſis prouincijs, tam clientes, quàm armigeros, pro animarum ſalute, animo feruenti ad terminum cupientes in domo noſtra mancipari. vtile eſt autem, vt fidem eorum accipiatis, ne fortè veteranus hoſtis in Dei ſeruitio aliquid furtiuè vel indecenter eis intimet, vel à bono propoſito repentè exterminet.

VT PVERI, QVAMDIV SVNT parui, non accipiantur inter fratres Templi. 62.

Quamuis Regula ſanctorum Patrum pueros in congregatione permittat habere; nos de talibus non conlaudamus vos vnquã onerare. Qui verò filium ſuũ, vel propinquum, in militari religione perenniter dare voluerit, vſque ad annos, quibus viriliter armata manu poſsit inimicos Chriſti de terra ſancta delere, eum nutriat: dehinc ſecundùm Regulam in medio fratrum pater vel parẽtes eum ſtatuant, & ſuam petitionem cunctis patefaciant. Melius eſt enim in pueritia non vouere, quàm poſteaquam vir factus fuerit, enormiter retrahere.

VT SENES SEMPER VEnerentur. 63.

Senes autem pia conſideratione ſecundùm virium imbecillitatem ſupportare ac diligenter honorare oportet: & nullatenus in his quæ corporis ſunt neceſſaria, diſtrictè te-

neantur, ſaluâ tamen autoritate Regulæ.

64. *DE FRATRIBVS QVI PER DIVERſas prouincias proficiſcuntur.*

Fratres verò qui per diuerſas prouincias diriguntur, Regulam, in quantũ vires expetũt, ſeruare in cibo & potu & cæteris ſtudeant, & irreprehenſibiliter viuant, vt ab his, qui foris ſunt, bonum teſtimoniũ habeant. religionis propoſitum nec verbo nec actu polluant, ſed maximè omnibus, quibus ſe coniũxerint, ſapientiæ & bonorum operum exemplum & condimentum præbeant. Apud quem hoſpitari decreuerint, fama optima ſit decoratus, &, ſi fieri poteſt, domus hoſpitis in illa nocte non careat lumine, ne tenebroſus hoſtis occiſionem, quod abſit, inferat. vbi autem milites non excommunicatos cõgregare audierint, illuc pergere, nõ conſiderantes tam temporalem vtilitatem quàm æternam animarum illorum ſalutem, dicimus. Illis autem fratribus in Vltramarinis partibus ſpe ſubuectionis ita directis, hac conuentione eos qui militari Ordini ſe iungere perenniter voluerint, recipere collaudamus, vt in præſentia Epiſcopi illius prouinciæ vterque conueniant, & voluntatem petentis Præſul audiat: audita itaque petitione, mittat eum frater ad Magiſtrum & ad fratres, qui ſunt in templo, quod eſt in Ieruſalem, & ſi vita eius eſt honeſta, talique conſortio digna,

digna miſericorditer ſuſcipiatur, ſi Magiſtro & fratribus bonum videtur. Si verò interim obierit, pro labore & fatigatione, quaſi vni ex fratribus, totum beneficium & fraternitas pauperum & commilitonum Chriſti ei impendatur.

VT VICTVS AEQVALITER omnibus diſtribuatur. 65.

Illud quoque congruè & rationabiliter manutenendum cenſemus, vt omnibus fratribus remanentibus victus ſecundùm loci facultatem æqualiter tribuatur. non enim eſt vtilis perſonarum acceptio, ſed infirmitatum neceſſaria eſt conſideratio.

VT MILITES TEMPLI DECImas habeant. 66.

Credimus namque relictis affluentibus diuitijs vos ſpontaneæ paupertati eſſe ſubiectos, vnde decimas vobis communi vita viuentibus iuſtè habere hoc modo demõſtrauimus: Si Epiſcopus Eccleſiæ, cui decima iure debetur, vobis charitatiuè eã dare voluerit, aſſẽſu cõmunis Capituli de illis decimis, quas tunc Eccleſia poſſidere videtur, vobis tribuere debet. Si autem laicus quilibet adhuc illam vel ex patrimonio ſuo damnabiliter amplectitur, & ſe ipſum in hoc valdè redarguens, vobis eandem reliquerit, ad

nutum

nutum eius, qui præeſt tantùm, ſine conſenſu Capituli id agere poteſt.

67. DE LEVIBVS ET GRAVIBVS *culpis.*

Si aliquis frater loquendo vel militando aut aliter aliquid leue deliquerit, ipſe vltrò delictum ſuum ſatisfaciẽdo Magiſtro oſtendat. De leuibus ſi conſuetudinem non habeant, leuem pœnitentiam habeat. Si verò eo tacente per aliquem alium culpa cognita fuerit, maiori & euidentiori ſubiaceat diſciplinæ & emendationi. Si autem graue erit delictum, retrahatur à familiaritate fratrũ, nec cum illis ſimul in eadem menſa edat, ſed ſolus refectionem ſumat, diſpenſationi & iudicio Magiſtri totum incumbat, vt ſaluus in iudicij die permaneat.

68. QVA CVLPA FRATER AMplius *non recipiatur.*

Ante omnia prouidendum eſt, ne quis frater potens aut impotens, fortis aut debilis, volens ſe exaltare & paulatim ſuperbire, ac culpam ſuam defendere, indiſciplinatus maneat: ſed ſi emendare noluerit, ei diſtrictior correptio accedat. quòd ſi pijs admonitionibus, & fuſis pro eo orationibus emẽdare noluerit, ſed in ſuperbia magis ac magis erexerit, tunc ſecundùm Apoſtolum de pio eradicetur grege: Auferte malum ex vobis: Neceſſe

Digitized by Google

Neceſſe eſt vt à ſocietate fratrum fidelium ouis moribunda remoueatur. Cæterùm Magiſter, qui baculum & virgam manu tenere debet; baculum videlicet, quo aliorum virium imbecillitates ſuſtentet; virgam quoq; qua vitia delinquẽtium zelo rectitudinis feriat: conſilio Patriarchæ & ſpiritali conſideratione id agere ſtudeat, ne, vt ait B. Maximus, aut ſolutior lenitas cohibentiam peccantis, aut immoderata ſeueritas à lapſu non reuocet delinquentem.

VT A PASCHALI SOLEMNITATE vſque ad feſtum Omnium Sanctorum vnam camiſiam lineam tantùm ſumere habeat. 69.

Interea, quo nimio ardore Orientalis regionis miſericorditer conſideramus, vt à Paſchali feſtiuitate vſque ad Omnium Sanctorum ſolemnitatem vnicuique vna camiſia linea tantùm, non ex debito, ſed ſolâ gratiâ detur; illi dico, qui ea vti voluerit: alio autem tempore generaliter omnes camiſias laneas habeant.

QVOT ET QVALES PANNI IN lecto ſint neceſſarij. 70.

Singulorum quidem, non aliter, per ſingula lecta dormientium dormire, niſi permaxima cauſa vel neceſsitas euenerit, communi conſilio conlaudamus. Lectualia vel lecti-

lectiſternia moderata diſpenſatione Magiſtri vnuſquiſque habeat: credimus enim potiùs ſaccum, culcitram & coopertorium vnicuique ſufficere. Qui verò ex his vno carebit, carpitam habeat, & in omni tempore tegmine lineo, id eſt, veluſo frui benè licebit. veſtiti autem camiſijs dormiant, & femoralibus ſemper dormiant. Dormientibus itaque fratribus, iugiter vſque mane nunquam deſit lucerna.

71. *DE VITANDA MVRMVratione.*

AEmulationes inuidas, liuorem, murmur, ſuſurrationes, detractiones, diuina admonitione vitare, & quaſi quandam peſtem fugere vobis præcipimus. Studeat igitur vnuſquiſq; vigilante animo, ne fratrem ſuum clam culpet aut reprehendat, ſed illud Apoſtoli ſtudioſè ſecum animaduertat: Ne ſis criminator, ne ſuſurro in populo. Cùm autem fratrem liquidò aliquid peccaſſe agnouerit, pacificè & fraterna pietate, iuxta Domini præceptum, inter ſe & illum ſolum corripiat: & ſi eum non audierit, alium fratrem adhibeat; ſed ſi vtrumque contempſerit, in conuentu publicè obiurgetur coram omnibus. Magnæ enim cæcitatis ſunt, qui alijs detrahunt: & nimiæ infelicitatis ſunt, qui ſe à liuore minimè cuſtodiunt; vnde in an-

In antiquam verſuti hoſtis nequitiam demerguntur.

VT OMNIVM MVLIERVM fugiantur oſcula. 72.

Periculoſum eſſe credimus omni religione vultum mulierum nimis attẽdere: & ideò nec viduam, nec virginem, nec matrem, nec ſororem, nec amitam, nec vllam aliam fœminam aliquis frater oſculari præſumat. Fugiat ergo fœminea oſcula Chriſti militia, per quæ ſolent homines ſæpè periclitari, vt pura conſcientia & ſecura vita, in conſpectu Domini perenniter valeat conuerſari. Et ſic deſinit Regula Templariorum olim Equitum: de quibus Origines noſtras Equeſtres, Latinè & Gallicè editas.

Anno milleſimo centeſimo vigeſimooctauo, Reinoldus Comes Lucemburgi monaſterium Neoburgi condit in d. Argentinenſi, quod vocatur *Nouum Caſtrum*, vbi & ſepultus eſt. Ita Guillimannus in hiſtoria Epiſcoporum Argentinenſium. Idem poſtea monaſterium locupletauit Fridericus II. Dux Sueuiæ. ANNO 1128. *Nouum caſtrum in d. Argentinenſi.*

Eodem anno fundatum eſt Monaſterium VValkenreda, in Thuringia ab Adelheida Comitiſſa Clettenbergica, iuxta Harthouen. *Walkenreda.*

Anno

lectiſternia moderata diſpenſatione Magiſtri vnuſquiſque habeat: credimus enim potiùs ſaccum, culcitram & coopertorium vnicuique ſufficere. Qui verò ex his vno carebit, carpitam habeat, & in omni tempore tegmine lineo, id eſt, veluſo frui benè licebit. veſtiti autem camiſijs dormiant, & femoralibus ſemper dormiant. Dormientibus itaque fratribus, iugiter vſque mane nunquam deſit lucerna.

71. *DE VITANDA MVRMVratione.*

AEmulationes inuidas, liuorem, murmur, ſuſurrationes, detractiones, diuina admonitione vitare, & quaſi quandam peſtem fugere vobis præcipimus. Studeat igitur vnuſquiſq; vigilante animo, ne fratrem ſuum clam culpet aut reprehendat, ſed illud Apoſtoli ſtudioſè ſecum animaduertat: Ne ſis criminator, ne ſuſurro in populo. Cùm autem fratrem liquidò aliquid peccaſſe agnouerit, pacificè & fraterna pietate, iuxta Domini præceptum, inter ſe & illum ſolum corripiat: & ſi eum non audierit, alium fratrem adhibeat; ſed ſi vtrumque contempſerit, in conuentu publicè obiurgetur coram omnibus. Magnæ enim cæcitatis ſunt, qui alijs detrahunt: & nimiæ infelicitatis ſunt, qui ſe à liuore minimè cuſtodiunt; vnde in an-

Digitized by Google

In antiquam verſuti hoſtis nequitiam demerguntur.

VT OMNIVM MVLIERVM fugiantur oſcula. 72.

Periculoſum eſſe credimus omni religione vultum mulierum nimis attẽdere: & ideò nec viduam, nec virginem, nec matrem, nec ſororem, nec amitam, nec vllam aliam fœminam aliquis frater oſculari præſumat. Fugiat ergo fœminea oſcula Chriſti militia, per quæ ſolent homines ſæpè periclitari, vt pura conſcientia & ſecura vita, in conſpectu Domini perenniter valeat conuerſari. Et ſic deſinit Regula Templariorum olim Equitum: de quibus Origines noſtras Equeſtres, Latinè & Gallicè editas.

Anno milleſimo centeſimo vigeſimo-octauo, Reinoldus Comes Lucemburgi monaſterium Neoburgi condit in d. Argentinenſi, quod vocatur *Nouum Caſtrum*, vbi & ſepultus eſt. Ita Guillimannus in hiſtoria Epiſcoporum Argentinenſium. Idem poſtea monaſterium locupletauit Fridericus II. Dux Sueuiæ. ANNO 1128. *Nouum caſtrum in d. Argentinenſi.*

Eodem anno fundatum eſt Monaſterium VValkenreda, in Thuringia ab Adelheida Comitiſſa Clettenbergica, iuxta Harthouen. *Walkenreda.*

Anno

ANNO 1129. *Vrſicampus ind. Nouiomenſi.*

Anno 1129. cœnobium *Vrſicampi* fundatum eſt à nobiliſsimo præſule Nouiomenſi, Domino *Simone*, qui Hugonis Magni filius erat, frater autem Radulphi Comitis, & Ludouici Regis fratruelis; adducto conuentu monachorum à Claraualle, & Domino *Valeranno* primo Abbate ordinato, qui primus ex nobilioribus perſonis Clarauallem ſua conuerſatione illuſtrauit. Ita Robertus Abbas, Sigebertini Chronici continuator. Idem tradit Meyerus in Annalibus Flandriæ.

Eccleſiam Vallis Lucentis anno eodem conſecratam, tradit Robertus in Chronico Altiſiodorenſi.

Anno 1130. S. Bernardus ab Innocentio II. Papa mittitur ad Guilielmum Aquitaniæ Ducem, eundemq; Comitem Pictauienſem, vt relicto Anacleto Antipapa, redeat ad Eccleſiæ Catholicæ communionem: quibus de rebus fusè Baronius Tomo 12. Annalium.

Eodem anno Sigefridus Comes Bomelborgius, in Saxonia fundauit inſignem Abbatiam Amelongesborne dictam, aſſumptis è veteri Campo aliquot monachis, quibus eam inhabitandam dedit.

Balduinus I. Cardinalis.

Balduinus, natione Gallus, Clarauallenſis monachus, Ord. Ciſtercienſis, S. Bernardi diſcipulus (cuius idem meminit epiſt. 138. & 144.) primus ex illo ordine ab Innocẽtio II. crea-

creatur Cardinalis, & poſtmodum Archiepiſcopus Piſanus. Meminit eiuſdem Alamanus ex monacho Clarauallẽſi Epiſcopus Altiſiodorenſis in vita S. Bernardi.

Guerricus Abbas Igniacenſis, itidem S. Bernardi diſcipulus, antea Tornacenſis in Belgio Canonicus, & ſcholæ Magiſter ſcripſit opus Sermonum, editum Pariſijs, Louanij & Antuerpiæ. Floruit an. 1130. *Guerricus Ab. Igniacenſis.*

Anno eodem Innocentius II. Papa Leodio veniens, Claram-Vallem viſitauit, vbi ſummum tunc rigor monaſticus ac diſciplina vigebat; quòd his verbis narrat Bernardus Abbas Bonæ Vallis, in vita S. Bernardi: *Innocentius II. Papa viſitat Claram Vallem.* *Rediens autem Leodio, Claramuallem Dominus Papa per ſeipſum voluit viſitare. Vbi à pauperibus Chriſti, non purpura & byſſo ornatis, nec cum deauratis Euangelijs occurrentibus, ſed pannoſis agminibus ſcopuloſam baiulantibus crucem, non tumultuantium claſſicorum tonitruo, non clamoſa iubilatione, ſed ſuppreſſa modulatione affectuoſiſſimè ſuſceptus eſt. Flebant Epiſcopi, flebat ipſe ſummus Pontifex: mirabantur Congregationis illius grauitatem, quòd in tam ſolemni gaudio oculi omnium humi defixi, nuſquam vagabunda curioſitate circumferrentur, ſed comploſis palpebris ipſi neminem viderent, & ab omnibus viderentur. Nihil in Eccleſia illa vidit Romanus quod cuperet, nulla ibi ſupellex eorum ſollicitauit affectum, nihil in oratorio niſi nudos viderunt pa-*

rietes. Solis moribus poterat inhiare ambitio, nec damnoſa poterat eſſe fratribus huiuſmodi præda, cùm minui non poſſet aſportata religio. Gaudebant omnes in Domino, & ſolemnitas non cibis, ſed virtutibus agebatur: panis ibi autopyrus pro ſimila, pro careno ſapa, pro rhombis olera, pro quibuſlibet delicijs legumina ponebantur. Si fortè piſcis inuentus eſt, Domino Papæ appoſitus eſt, & aſpectu, non vſu in commune profecit. Hæc ipſe de paupertate & obſeruantia Clarauallenſium.

Cæterùm Innocentius II. in Quadrageſima, Miſſam ſolenniter celebrauit Leodij in templo primario S. Lamberti, ibidemq; Lotharium Regē Alemanniæ, eiuſq; coniugem Reginam coronauit. Aderat tum Innocētio S. Bernard. cùm alijs Antiſtitibꝰ plurimis. De his rebus fuſiùs AEgidius Ameæ Vallis monachus in Hiſtoria Epiſcoporū Leodiēſium.

Anno 1131. Helinburgis Comitiſſa à Glichen, in diœceſi Moguntina ædificare cœpit Abbatiam Volkolderadenſem partim à loci colono, partim à labore deducto nomine.

Longus Pons. Rieuallis in Anglia.

Eodem anno Clara Vallis duo cœnobia, vno die producit ſcil. *Longipontū* & *Rieuallem*, & poſt paucos mēſes *Vaucellas*. ſic Interpolator ſeu Continuator Sigeberti Gemblacēſis, Robertus Abbas Montis Naualis. Eſt autem Longipontus ſeu potius Longus Pons, ſitus in diœceſi Sueſſionenſi, Rieuallis ſeu Rihevallis in Anglia, & Vaucellæ in d. Cameracenſi

censi

cenſi: de quibus plura infrà anno ſequenti.

Circa hunc annum Albero Virdunenſis Epiſcop⁹ fundauit Abbatiā *de Caſtillon*: teſte VVaſſeburgio lib. 5. Antiquit. Belgicarum.

His temporibus ordo Canonicus Pręmonſtratenſis, & monaſticus Ciſtercienſis quaſi duæ oliuæ in conſpectu Domini, pietatis lumen & deuotionis pinguedinem mūdo miniſtrabāt: & quaſi vites fructiferæ religionis palmites circumquaq; propagabant, & per oēs ferè Chriſtiani orbis terminos bonę opinionis odore paulatim diffuſo, nouas Abbatias, vbi antea Dei cultus nō fuerat, cōſtruebant. Vnde etiā in Syriam & Palæſtinam de Pręmonſtrato fratres miſsi: nonnullas Abbatias ædificauerunt. Eratq; circa hæc tempora pulcra ac decora facies Eccleſiæ, diuerſorum ordinū ac profeſsionū circumdata varietate: dum hinc Præmonſtratēſes, hinc Ciſtertienſes, inde Cluniacēſes monachi, tum & diuerſi habitus & ꝓfeſsionis ſanctimoniales, & mulieres Deo deuotæ, in continentia atque paupertate ſub obedientiæ iugo regulariter viuentes, feruore religionis inuicem prouocarent, & noua diuerſis certatim in locis monaſteria fundarent. Cùm his etiam monachi Cartuſienſes & ipſi paulatim pullulabāt, qui præ cæteris continentes, peſti auaritiæ, qua plurimos ſub religionis habitu laborare videm⁹, terminos poſuerūt, dum certū numerū

hominum, animalium, poſſeſsionum, quam eis prætergredi nullo modo liceat, ſtatuerunt: & ipſi ſingulis ſingulas cellulas habentes, ac rarò, vel ob Dei cultum, vel ob mutuum charitatis ſolatium conuenientes, perfectiùs mori mundo, & cæteris tantò diligẽtiùs, quantò ſecretiùs, viuere Deo elegerunt. Ad hæc etiam milites templi Hieroſolymitani: Fratres quoque de hoſpitali ſub religioſo habitu continenter viuentes, vbique ſe multiplicando diffundebant: & quæ poterant, vel de fidelium eleemoſynis ad opus Deo militantium, in infirmorum quoque ac pauperum Hieroſolymam petebant. Sed præſules Eccleſiarũ ac Principes ſeculi promptiſsimè annuebant, vel etiam ſponte offerebant terras, prata, nemora, & cætera, quæ monaſterijs ædificandis neceſſaria erant. Ita Robertus Abbas Montis.

Aurea Vallis in Ducatu Luxemburgenſi.

Anno Chriſti 1070. Monachi quidam profeſsione Benedictini, ex Calabria prædicandi Euangelij gratia in Lotharingiam trãſierunt. Cumq; varia loca peragraſſent, hunc demum philoſophiæ Chriſtianæ exercendæ aptiſsimum, vtpotè ab hominum congreſſu remotum, & nemoribus fontibuſque amœnum delegerunt, donante & adprobante *Arnulfo* Comite Chiuenſi, ſiue Chiniacenſi.

Cenſum auxit poſtea *Machtildis* Godefridi Gibboſi Lotharingiæ Ducis vidua.

Arnul-

Arnulſo Comite anno 1110. defuncto, & Metis ſepulto, ſucceſsit *Otho* filius, qui reuocatis in Calabriam monachis, imperfecta monaſterij ædificia cum omni cenſu annuo duobus ſecularibus ſacerdotibus attribuit, Treuerenſi Archiepiſcopo conſentiente. Itaque multis annis in Aurea valle *Canonici*, ſub vnius Præpoſiti regimine reſederũt, & templum ſuum ab *Henrico* Virdunenſium Antiſtite in honorem B. Virginis, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli conſecrandum curarunt.

Otho Comes anno 1130. obijt, Chiniaci in templo S. Vnaburgis ſepultus. Poſt cuius obitum, cum liberius, quàm par erat, Canonici viuerent, *Albero* Virdunenſium Epiſcopus, Chinenſium Comitum familia natus, B. *Bernardo* Clarauallenſi Abbati locum obtulit. Is itaque *Conſtantinum*, Abbatem ibi futurum, & alios monachos ſeptem ad Auream Vallem deſtinauit, anno Chriſti 1131. 1131.
Innocentio II. Pontifice. Hæc ferè Ioannes Bertelius Abbas Epternacẽſis, in ſua Ducum Luceburgenſium hiſtoria: apud quem plura vide huc ſpectantia.

Cæterùm quo anno Valcellenſis Abbatia, ſecundo miliari à Cameraco, ſumpſerit exordium, non aliundè certiùs hauſerimus, quàm ex Appendice à Valcellenſibus addita ad Sigeberti manuſcriptũ Chronicon, quod olim

Valcellẽſis vulgò Vaucellẽſis d. apud Cameracum.

olim Abrahami Ortelij fuit, nunc in bibliotheca Collegij Societatis IESV Antuerpiæ
ANNO adſeruatur. Eius hæc ſunt verba. Anno mil-
1131. leſimo centeſimo triceſimoprimo, incœptum eſt monaſterium S. Mariæ *Valcellenſis*
1232. Eccleſiæ. Anno milleſimo centeſimo triceſimo ſecundo, venit conuentus Monachorum, cum Abbate ſuo, nomine *Radulfo*, à Claravalle ad hunc locum, qui vocatur *Valcella*, die prima Kalen. Auguſtarum, qua die celebrabatur feſtiuitas Sancti Petri ad Vincula. Hic Radulfus primus Abbas huius cœnobij, de Anglia oriundus, vita, moribus, & feruore religionis omnibus exemplo fuit. Hos adduxit beatæ memoriæ *S. Bernardus*, primus Abbas Clarauallenſis cœnobij.

1149. Anno milleſimo centeſimo quadrageſimo nono conſecrata eſt Eccleſia B. Mariæ Valcellenſis cœnobij, à *Sampſone* Remorum Archiepiſcopo VII. kal. Iunij.

Anno milleſimo centeſimo quingenteſimo primo Radulfus migrauit è mundo. Cui ſucceſsit vir venerandus, *Riquardus* nomine, & ipſe de Clarauallе ſumptus, moribus maturus, diſcretione præcipuus, hilaris vultu, affabilis in colloquijs, ſtatura decorus, temperatus in omnibus.

1179. Anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo

nono

nono, III. Kalend. Iunij, feria tertia leuata ſunt oſſa Abbatum huius loci de Capitulo, in quo à principio poſiti fuerant, videlicet Domini *Radulſi* primi Abbatis, & Domini *Riquardi* ſecundi, & Domini *Nicolai*, qui loco tertio ſucceſſerat, ſed præ nimia corporis infirmitate, ipſam Abbatiam dimiſerat, & poſita ſunt à Domino *Alelmo*, qui regimen quinto loco ſuſceperat, condigno honore infrà maceriam nouæ Eccleſiæ, quæ eſt intra oſtium ipſius Eccleſiæ & armarium, ad Septemtrionalem plagam, in locis honorificè præparatis, cunctis miniſtris albis indutis, adſtante etiam copioſo conuentu tàm conuerſorum, quàm monachorum, & multitudine ſecularium plurimorum.

Iſta autem Abbatum tranſlatio facta eſt per Concilium, quod ipſo anno ſub Alexandro Papa Tertio Romæ celebratum eſt. *Hactenus ex Valcellenſi Appendice à nobis edita cum Sigeberti Chronico.*

Eſt autem Valcellis (ſic beatus Bernardus nuncupat) templum longè pulcherrimum, atque inter cætera huius ordinis apud Belgas ampliſsimum, quodque templum cathedrale Cameracenſe ſuperat longitudine, à nobis aliquando cum admiratione ſpectatum. *Epiſt. 186.*

De *Hugone* Decano Cameracenſi, mona-

ſticen Valcellis amplexo, & ſanctitatis opinione claro, lege Thomam Cantipratanum, lib. 1. Apum. cap. 20.

Lancken-heim. *Lanckenheimium* ſiue in diœceſi *Lanegkheimium* Babenbergenſi ſitum eſt: de quo ſic Bruſchius: *Eſt id ſitum non procul à Mœna flu. tribus à Culmbachio miliaribus verſus Babenbergam, omnium, quæ vidi, cœnobiorum non ſolùm magnificentiſsimum, ſed & munificentiſsimum. Nam omnibus ibi viatoribus, tàm equitibus quàm peditibus gratuitum patet hoſpitium. Subiacet viſitationi Abbatis Ebracenſis, eſtq́ fundatum anno*

1132. *1132. ab Othone Epiſcopo Babenbergenſi VIII. fundum ſibi hæreditarium extruendo cœnobium liberaliter conferente.*

Vndecimus huius loci Abbas Ioannes Vuirsbergius, primus monaſterio ſuo infulam, & alia ornamenta ſibi à Pio IV. Pont. Max. conceſſa intulit, Obijtquе anno 1379.

Sub Frederici Heuglini Abbatis XIV. gubernatione, an. 1445. florere cœpit celebre ſacellum XIV. Auxiliatorium, in monte Staphelſteino: Ita Bruſchius.

Fons ſalutis. Fons Salutis, vulgò *Heilsbrun*, in diœceſi Bambergenſi viſitur; de quo ſic Bruſchius: *Magnificentiſsimum hoc cœnobium, medio ferè itinere inter Noribergam & Honoldisbachium ditionis, hodie Brandeburgenſis oppidum, funda-*

1132. *tur an. 1132. ab Othone Comite Andecenſi, Epiſcopo Bambergenſi octauo, & à Rabathone ac*

Con-

Conrado Comitibus Abenbergenſibus, horumqúe vxoribus Mechtilde & Sophia. Spectantur in hoc monaſterio magnifica Marchionum Brandeburgenſium, & Burggrauiorum Noribergenſiũ, itemqúe Naſſouiorum, & aliorum variorũ Comitum Mauſolea: Ita Bruſchius.

Ciſtercienſis Ordinis monachi in Angliam tranſeunt, adiuuante viro nobili *Gualtero Exſpec*, Anglo, Stephani Hardingi III. Abbatis Ciſtercienſis diſcipulo, qui ad Riheuallem, ſeu Rieuallem, hoc ipſo anno cœnobium ipſis conſtruxit. Ita ſcriptores Anglici, ſed Robertus Sigeberti Continuator dicit Rieuallem an. 1131. fundatam, monachis è Longo Ponte accitis: vt ſuprà diximus. In Rubra Valle apud Bruxellam exſtat manuſcripta vita B. Alredi ſiue Ealredi, Abbatis Rievallenſis. Idem Ealredus ſcripſit vitam S. Eduardi Regis Angliæ à Surio editam. *Riheuallis in Anglia.*

Domus Cæſarea, vulgò *Kayſershaim*, vel abbreuiationem *Kayshaim*, magnificum atque opulentum hoc monaſterium in Ducatu Neuburgenſi, & Graif ſpacenſi, anno 1133. fundatum eſt ab Henrico Comite à Lechſmund, & Graif ſpach, & Loicarda eius coniuge (quæ ibidem cum marito eſt ſepulta) & à filijs Henrico II. & VVolgerado. Viſitur hoc monaſterium apud Donnauverdam vrbem imperialem, non procul à Lici & Da- *Domus Cæſarea.*

 nubij

nubij confluente, in diœceſi Auguſtana, ſub viſitatione Abbatis Lucellenſis. Ita VViguleus Hundius in Metropoli Salisburgenſi, & Gaſpar Bruſchius in Chronologia monaſteriorum Germaniæ.

S. Bernardus propagat ord. Præmonſtratenſem.

S. Bernardum quàm plurima Ordinis ſui monaſteria excitaſſe, patet ex dictis & dicendis. At verò eſt quod magis miremur, nimirum & Ordinis Præmonſtratenſis eximium cultorem ac propagatorem fuiſſe Bernardum. Teſtis locuples nobis erit nobiliſsima *Tungerloenſis* apud Brabantos Abbatia, inſtituti Præmonſtratenſis, quæ S. Bernardo exordia ſua ac libertatem magna ex parte debere libens fatetur. Burchardi itaque Cameracenſis Epiſcopi diploma audiamus.

In nomine ſanctæ Trinitatis, & indiuiduæ Vnitatis. Notum ſit tam præſentibus quàm futuris in perpetuum. Deſiderium, quod ad religionis propoſitum & animarum ſalutem pertinere mõſtratur, animo nos docet libenti concedere, & petentium deſiderijs congruũ impartiri ſuffragium. Ego itaq; *Burchardus*, Cameracenſium Epiſcopus, petitionem religioſorum virorum, *VValtmanni* videlicet Antvverpienſiũ Abbatis, & *Bernardi* Clarauallenſis, approbandam æſtimaui, ſupplicantium, vt Eccleſiam de *Tongerlo*, libertate donarem, quatenus in ea fratres Præmonſtratẽſis ordinis, ſub regula B. Auguſtini degen-

degentes, liberè & quietè Deo ſamulari valeant. Quam petitionem bonam iudicans, ideoque benignè exaudiens, prædictam Eccleſiam B. Dei Genitricis, ſemperq; Virginis MARIAE, ab omni exactione, debitiſque obſonijs ad ſuſtentandos Canonicos in ea Deo, ſanctæq; eius Genitrici ſeruientes, liberam facio. Deinde vt canonicum & iuſtum eſt, libens conſtituo, vt in ſtatuendo Abbate ſanior pars Conuentus liberam poteſtatem obtineat, electus verò Cameracenſi Epiſcopo præſentetur, vt ab eo ſine vlla contradictione, vel cuiuſlibet perſonæ aliqua exactione conſecratus, in parochia ſua ius ſynodale liberè obtineat. Fratribus autem eiuſdem loci auctoritate Dei & mea prohibeo, ne poſt factam obedientiam aliquid proprium, ſecundùm communis vitæ profeſſionem, liceat habere, neque ſine eiuſdem Abbatis licentia & aſſenſu Congregationis diſcedere. Si verò per inobedientiam aliquis diſceſſerit, & à qualibet Eccleſia vel perſona ignoranter, vel ſcienter receptus fuerit, poſtquam Abbatis querimonia quocunque modo retentori innotuerit, niſi eum ſine dilatione dimiſerit, ſit retentor cum retento in ſententia excommunicationis. Si autem quolibet caſu tota terra inbannita fuerit, clauſis quoque ianuis hæc cantet Eccleſia. Abbas quoque ad ſynodum non

non cogatur, niſi ſigillatis Epiſcopi litteris fuerit euocatus. Quid autem hæc Eccleſia poſſeſsionum habeat, huic chartæ inſerere neceſſarium iudicauimus. Duas partes decimæ eiuſdem Eccleſiæ & dominicaturam videlicet quadraginta bonarios cum molendino vno: Terram in eadem parochia ſoluentem annuatim XIX. ſextaria braſij cum X. vaſculis hordei: Terram inſuper ibidem ſoluentem XII. ſolidos & denarium vnũ, cum cæteris terræ debitis, & manſo vno, ſoluentem manipulum quartum. Et inſuper manſum vnum, VVimple manſum ſoluentem V. ſolidos cum ſuis debitis: vele terram ſoluentem III. ſolidos & dimidium cum reliquis debitis. Quicunque autem iſta infringere aut auferre, vel huic noſtræ paginæ, ſigillo noſtro ſignata, contraire præſumpſerit, in extremo examine cruciandus æternaliter diabolo tradatur. Pax igitur & benedictio conſeruatores protegat; diſsipatores verò vltio ignis æterni cum diabolo feriat. Vt autem hoc ratum omni tempore habeatur atque à nullo præſumptore maligno violetur, quoſcunq; diſsipatores huius mei beneficij à gremio matris Eccleſiæ eiectos publicè excommunicaui, niſi ad emendationem & ſatisfactionem venerint.

Sigillum mei ipſius Burchardi Epiſcopi. S. Ioannis Archidiaconi. S. Theodorici Archidia-

chidiaconi, S. Rudolphi Archidiaconi, S. Paruini Abbatis S. Sepulcri, S. VValteri Abbatis S. Autberti, S. Hugonis Decani, S. Euſtachij Scholaſtici, S. VValtmanni Antvverpienſis, S. Bernardi Clarauallenſis. Acta ſunt hæc Cameraci anno Dominicæ incarnationis M. C. XXXIII. regnante Conrardo ſemper Auguſto. 1133.

Hoc eodem anno Ebrardus ex Comite Montenſi monachus & ſacerdos Ordinis Ciſtercienſis, poſt multas peregrinationes, & humilem vitam quam in Morimundo ignotus egerat, agnitus, & in patriã reductus, ædificauit inſignẽ Abbatiam veteris Montis nõ longe ab Vbijs, ob φιλαδελφίαν veteri Campo ſemper iunctiſsimam, quæ opinione Monaſticæ diſciplinæ optimè conſeruatæ, multis alijs paulatim deficientibus, vſque hodiè præfulget.

Anno eodem Ludouicus Imp. expeditionem in Italiam parat, & cùm Epiſcopis & Archiepiſcopis, ac nominatiſsimo Abbate Clarauallis Bernardo, Papam Innocentium Romam deducens contra Petrum Leonis, qui monaſterium S. Petri munierat, cum in ſede Pontificali potenter collocat: ipſum verò Ludouicum Innocentius Papa ibidem in Imperatorem conſecrat. Ita Robertus Montenſis. Alij id referunt ad annum 1132.

S. Bernardum in Italiam veniẽtem ſæpius hoſpi-

hoſpitio excepit Anſelmus V. Mediolanenſis Archiepiſcopus: cuius cauſſa monaſteriũ *Claraualenſe*, extra portam Romanã, ab Anſelmo Archinto ædificandum curauit. Ita legitur in Catalogo Archiepiſcoporũ Mediol.

Clara-Vallis apud Mediolanũ.

Anno eodem lego fundatam Abbatiam S. Crucis in Auſtria.

VValdſaſſenſe monaſterium, ſitum eſt in diœceſi Ratiſponenſi: de quo ſic Bruſchius in Chronologia. *Cœptum eſt ſtrui medijs in ſil-*
1133. *uis hoc monaſterium an. 1133. Geruico, viro nobili, auctore. Fuit is primum monachus in Sigebergenſi Benedictinorum apud Coloniam cœnobio; indeqũe à Chunone Ratiſponenſi Epiſcopo in Nariſco abductus, Theobaldo Marchione Vohenburgenſi locum donante, cœnobium iſtud ſtruxit; quod numero centeſimum, inter Ciſtertienſia per vniuerſum orbem ſtructa, exſtitit.*

Centeſimum inſtituti Ciſtertienſis monaſterium.

Spectantur hic Mauſolea Comitum Leuchtenbergenſium & aliorum: tumulus item magnificus Ioannis Epiſc. Ebronenſis, olim in VValdſaſſo monachi, qui an. 1404. obijt. Ita Bruſch. lib. cit.

Conradus Sueuiæ Dux, cũ Lothario Imp. ex Italia in Germaniam reuerſo in gratiam redit, S. Bernardo intercedente.

Anno 1134. *Vallis Clara* in d. Laudunenſi, *Locus Creſcens* in d. Veſontionẽſi, *Bellum Pratum* in d. Tullenſi, & *Locus S. Mariæ* in Anglia fundantur.

S. Bernardus ter in Italiam venit ad Innocen-

centium II. Papam, ad pacem Eccleſiæ procurandam; bis nimirum hoc anno, & tertiò cum Lothario Imp. vt Baronius in Annalibus diſſerit.

Clauſtrenſe ſiue Hemmenrodenſe, vt hodie nuncupatur, monaſteriũ in d. Treuirenſi hoc eodem anno fundatum tradit Cæſarius lib. 1. cap. 1.

Anno 1135. monaſteriũ *de Prato* fundatur, ſub 1. Abbate Petro: & hæc eſt prima plantatio, quã ex propria domo protulit Vvaleramus Abbas Vrſicampi: vt in Appendice ad Sigeberti Chronicon apud Robertum Abbatem legitur.

Item fundantur *Longum Villare* in Pontiuo, *Gratia Dei*, in Pictonibus, *Alta cumba* in Burgundia, *Clara Vallis* in Longobardia, & *Foſſa Noua* in prouincia Romana.

S. Bernardus Sacroſanctum Chriſti corpus in manibꝰ ferens, Guilielmũ Aquitaniæ Ducem compellat, & ad Eccleſiæ cõmunionem reducit: qua de re fusè Baron. in Annalibus.

Anno 1136. *Altus Fons* in d. Catalaunenſi, *Domus Dei*, in d. Bituricenſi, & *Caroli locus* in d. Siluanectenſi fundantur.

Hugo Altiſiodorenſis Epiſcopus (quem de Ordine Ciſtercienſi optimè meritum ſuprà anno 1120. diximus) in Domino pijſsimè obdormit. Huic in Epiſcopatu ſucceſsit Hugo de Monte acuto, Põtiniaci primus Abbas: *Hugo Epiſcopus Altiſiodorenſis.*

teſte

teſte Roberto Altiſiodorenſi. Obijt Hugo iſte poſterior anno 1151. Pontiniaci ſepultus.

S.Gulielmus Dux Aquitaniæ moritur. S.Guilielmum Aquitaniæ Ducem, quem S.Bernardus Petro Leonis Antipapæ adhærentem conuertit, hoc anno obiiſſe tradit Baronius tomo 12. Annalium. Recitat ibidem Teſtamentum eius ex commentarijs hiſtoricis Gallicè ſcriptis à Ioanne Hayano Pictauienſi, Lutetiæ an. 1581. editis.

Dunenſis in Flandria. DVNENSIS Abbatia, miliari vno à furnis Flandriæ oppido ædificata, in *Dunis*, id eſt maritimi ſabuleti collibus, ab ijſdem nomen accepit. Fuit initio Monachorum nigrorum Ord. S.Benedicti cœnobium, à *Ligerio* Eremita inchoatum: quod poſteà, *S.Bernardo* Claraualle nſi Abbate agente, Ciſtertienſibus acceſsit. Quibus de rebus ſic Iperius in Chronico manuſcripto Bertinenſi: Anno milleſi-
1107. mo centeſimo ſeptimo fundari incœptum eſt monaſterium de Dunis, per hunc modũ: Domin⁹ *Ligerius* vir ſanctitate famoſus, monachus de Ordine S.Benedicti nigrorũ Monachorum, exemplo priſcorum ſanctorum Patrum, relinquens patriam, vt terrenis curis exutus, liberiùs Deo inſeruiret, peregrè profectus in Flandriam venit, & in Furnenſi territorio, non longè à Furnenſi villa, locum deſertum petijt, vbi inter Montoſa & Arenoſa maris littora, quæ vulgariter ibi *Dunes* appel-

appellantur, reſedit. Ibique de bonis ſibi tam largitione Flandriæ Principis, quàm aliorũ Chriſti fidelium collatis, capellam in honorem *B. Mariæ* Virginis ædificauit, & cõuenticulum ſui ordinis, nigrorum monachorum, inibi congregauit. Quem locum & conuentum ipſe ibi primus Abbas, viginti & vno annis, ſic rexit & erexit, vt poſtea creſceret in monaſterium ſolemniſsimum, quod hodie dicitur *B. Maria de Dunis*.

Poſt Ligerium Dominus *Fulco* natione Biturix (teſte Meyero) niger Monachus de monaſterio Sauiniacenſi, ſecundus ibidem Abbas effectus, locum ipſum & numero monachorum & poſſeſsionibus augens, decem annis gubernauit, ſemper in habitu & ſtatu nigrorum monachorum. Sed florente tunc nouo Ciſtertienſium ordine, adueniente illo magno luminari Eccleſiæ, *B. Bernardo*, ad arctiorem vitæ frugem adſpirans, in manus ipſius Bernardi, ſe, monaſterium & conuẽtum ſponte ſubijciens, habitu nigrorum monachorum derelicto, ordinem & habitum Ciſtertienſium adſumpſit. Quibus B. Bernardum Abbatem prefecit Dominum *Robertum de Brugis* oriundum, qui fuit illius loci à ſua fundatione tertius Abbas, ſed primus de ordine Ciſtertienſi. *Et infrà*. Temporibus Innocẽtij Papæ S. Bernardus venit in has Flandriæ partes, vbi Eccleſiam B. Mariæ de Dunis

Obijt Ligerius an. 1128. teſte Meyero.

Ad hunc Robertũ Abbatem exſtant litteræ S. Bernardi.

ad arctioris vitæ normam inſtaurauit, de ordine nigrorum Monachorum ad Ciſtertienſem inuitans. Dominus enim *Fulco* tunc Abbas illius loci, ſe, conuentum ſuũ & monaſterium in manus B. Bernardi, & ei obedien-
1138. tiam fecit anno Domini M. C. XXXVIII. Et ordinauit B. Bernardus illius Eccleſiæ Abbatem Dominum *Robertum de Brugis* oriundum, virum deuotiſsimum, qui fuit Dunenſium primus Abb. de Ciſtertiẽſi profeſsione. Hic Dominus Robertus poſtquã Eccleſiam Dunenſem rexerat annis quindecim, aſſenſu & electione B. Bernardi, ſubrogatus eſt Abbas in Claraualle, B. Bernardo ad patres appoſito. *Hactenus Iperius.*

Eadem ferè narrat Meyerus in Annalibus Flandriæ, additq; *Guilelmum* Normannum, & *Theodoricum* Alſatium, Flandriȩ Comites, primùm agros ac poſſeſsiones huic cœnobio adſignaſſe. Idem de cœnobij iſtius amplitudine ac potentia hæc refert.

1252. Anno CIↃ. CC. LII. obijt *Nicolaus* præſtantiſsimus Dunenſium Abbas, patria Balliolanus, ſolitus dicere, *Dunenſe monaſterium montem eſſe argenteum, modò à ſapientibus regatur.* Hic ſub ſe monachos ibi habuit centum viginti, conuerſos ducentos quadraginta: ex quibus intra monaſterium, textores, fabri lignarij, ferrarijq;, fullones, cerdones, ſutores, pelliones, cereuiſiarij, latomi, vietores,

res, piſtores, piſcatores, aliiq; omnis generis opifices quotidianam exercebant operam.

Porrò ante ciuiles in Belgio turbas, illuſtres erant Dunæ templo admodum ſpatioſo, quoque vix aliud tota Flandria erat magnificentius, quod anno Chriſti milleſimo 1252.
ducenteſimo quinquageſimoſecundo, per *Radulfum* Morinenſem, & *Ioannem* Tornacenſem Epiſcopos, Virgini matri conſecratum ſcribit Meyerus. Illuſtres item erant Dunæ inſigni bibliotheca, vetuſtis rariſque manu ſcriptis codicibus referta, & turri à nautis Oceanum nauigantibus curioſè obſeruata.

Haud abs re fuerit hoc loco ſubiunxiſſe quæ de cœnobij Dunenſis initijs leguntur in manu ſcripta Appendice, à Valcellenſibus monachis, adiecta ad Sigeberti Gemblacenſis Chronicon manuſcriptum, quòd olim Abrahami Ortelij, Coſmographi Regij, nunc eſt collegij Societatis IESV Antuerpiæ: Anno milleſimo centeſimo viceſimo octauo, cœnobium de Dunis conſtrui cœptum eſt à Domino *Fulcone*, primo ipſius loci Abbate. Anno milleſimo centeſimo triceſimoſeptimo domum ſuam *de Dunis*, & domum de *Claromareſch*, quàm ſimul incoauerat, in Capitulo Clarauallenſi, ſub manu Domini Bernardi, Ord. Ciſtertienſi, die Petronellæ Virginis, tradidit. Anno 1138. 1138.

Sic & Meyerus nuncupat, hunc Fulconem I. Abbatem Dunenſem, non Ligerium Eremitã.

Abbas *Fulco* officium Abbatis in Claravalle dimiſit, & Dominus *Robertus* Dunis Abbatis conſtituitur Non. Aprilis, lecto illo die Euangelio de cœco nato & illuminato, pulchro quodam prognoſtico, quod eius vita & verbo, tanquam de ſaliua Domini luto facto, tam humili collirio ſcilicet humillimi viri exemplo, multi ab innatâ mentis cœcitate il-
1153. luminandi præmonſtrarentur. Anno milleſimo centeſimo quinquageſimotertio, Bernardus ille Clarauallis toto orbe nominatiſſimus Abbas tranſijt ad æterni luminis claritatem. Cuius ſucceſſor factus eſt Dominus *Robertus Dunenſis*, ab ipſo prelectus & prenominatus, & à Claraualleníibus violenter impulſus; Epiſcopis etiam & Abbatibus pedibus eius prouolutis. Tunc domus de Dunis quatuor menſibus abſque paſtore vacabat, donec Domin⁹ *Albero*, ab ipſo Domino Roberto trāſmiſſus, in regimine ſucceſsit, quod duobus annis tenuit.

1158. Anno milleſimo centeſimo quinquageſimo octauo *Robertus* ſecundus Dunenſis & Clarauallenſis Abbas è mundo migrauit. Viginti annis præfuit. Quindecim annis & pœnè quinque menſibus Dunis, quatuor annis & octo menſibus Clarauallenſibus. Cui Dominus *Faſtradus* Camberonenſis Abbas in regimine ſucceſsit.

Robertus II. Abbas Dunenſ & poſt Clarauallenſ. moritur.

1161. Anno milleſimo centeſimo ſexageſimoprimo,

primo, poſt generale Capitulum, *Lambertus* Abbas Ciſtertij, officio cedens, dimiſit Abbatiam, & Ciſtertiẽſes Dominum *Faſtradum* Claraualléſem fecerunt ſibi patrem, & Claraualenſes acceperunt Dominum *Gaufredum* Ignicenſem Abbatem.

Anno milleſimo centeſimo ſexageſimo tertio XIV. kalend. Iunij, Abbas *Faſtradus* Pariſijs obijt, Ciſtertium tranſlatus ante Aſcenſionem. Cui ſubrogatus eſt Dominus *Giſlebertus* Abbas Viſicampi. *Hactenus ex Valcellenſi Appendice.* 1163.

Claromariſci ſeu Claræ Paludis cœnobium, hanc procul ab Andomaropoli in Arteſia ſitum, à *Fulcone* Abbate Dunenſi inchoatum, adeoque à monachis primùm Benedictinis inſeſſum, poſt anno Chriſti milleſimo centeſimo triceſimoſeptimo ab eodem Fulcone Ciſtertienſibus traditum conſtat, ex Valcellenſi Appendice ad Sigeberti Chronicon. Sed initia fuiſſe exigua, vt ſolent, templumque & alia ædificia, à *Theodorico* Alſatio, Flãdriæ Comite, eiuſque coniuge *Sibylla* paulò pòſt exſtructa, Iperius & Meyerus tradunt. Iſtius in Chronico Bertinenſi hæc ſunt verba: Anno milleſimo centeſimo quadrageſimo, *Theodoricus* Comes Flandriæ & *Sibylla* eius vxor, in hæreditate ſuâ propria, iuxta villam S. Audomari, inter paludes & nemora, monaſterium ædificauerunt, in honorem

Claromariſcus apud Arteſios.

1137.

1140.

B. Virginis Mariæ, & *B. Bernardo* tradiderunt: qui locum in Mariſco ſitum monachis Ciſtertienſibus inſtruxit atque inſtituit, & propter religionis puritatem *Clarum Mariſcum* nominauit, Abbatem eis præficiens Dominum *Goufridum* monachum Claraualleníem anno Domini milleſimo cẽteſimo quadrageſimo. Poſtquam verò rexerat annis ferè octo, ſubrogatus Abbas *Guilielmus*, qui viginti annis præfuit. Iſte Guilielmus Eccleſiam, clauſtrum & cæteras religionis officinas tranſtulit de loco illo, qui adhuc propter hoc vocatur *Vetus curia*, ad locum vbi nunc ſunt.

Beatus autem Bernardus tunc Flandriam & Brabantiam peragrans, hanc & alias plures Abbatias conſtruxit, quę omnes, quia per ipſum, qui Abbas erat Claraualleníis, fundatæ ſunt, filiæ ſunt Clarauallis: *Hactenus Iperius.*

Itaque cœnobium iſtud à paludibus, quibus vndique cingitur, nomen induit. Eſt autem in vicino lacus mirè prodigioſus; cui nimirum inſulæ variæ, arbuſtis, conſitæ, innatant, in quibus boues, ouiumque greges paſcuntur, quæque ventis huc illuc aguntur. *Inſulæ natantes.* Lacum ſimilẽ Plinius Iunior deſcribit proſoceri ſui Fabati, nomine Vadimonis, in prędijs Amerinis: in quo ſe pro miraculo vidiſſe ſcribit, innatantes inſulas Herbidas, paſcuaſ-

cuasque interdum iunctas, copulatasque, interdum diſcordantibus ventis digeſtas, nonnunquam deſtitutas tranquillitate, ſingulas fluitantes. Quod & apud Claromariſcum eſt videre interdum.

Porrò cœnobium iſtud olim pietatis ac religionis zelo mirè floruit, adeò vt viri etiam ſummi ſacræ ibi militiæ nomen darent. Fecit id anno Chriſti milleſimo ducenteſimo triceſimo quarto, *Iacobus* XLVII. Abbas Bertinenſis, & anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimoquarto, *Gillebertus* XLIX. eiuſdem loci Antiſtes, teſte Iperio in Chronico ſuo Bertinenſi. 1234. 1264.

Eſt autem Claromariſci Abbatia in limites ordinesque Arteſiæ pronior, etſi Meyerus alijq; nonnulli eam Flandriæ adſignent.

Caricampus alijs Cernicāpus, vulgo Cercamp.

Eſt in Arteſia vetuſtum *Sancti Pauli* oppidum, à quo illuſtris ac perantiqua Comitum S.Pauli familia titulum induit. Huius familiæ magnum decus *Hugo* Comes, cognomento *Campdauena*, exſtitit; qui anno ſalutis 1137. monaſterium Caricampenſe ſuo in ſolo inſtituit, Abbate & monachis Auxerrâ euocatis. Id cœnobij huius monumenta diſertè loquuntur, in quo & tumuli plurimi veterum S.Pauli Comitum hodieque viſuntur. Quorum, vt & Arteſiæ Comitum hiſtoriam, dabit aliquando, vt ſpero, R.V. Ferreolus Locrius Paulopolitan⁹, apud

Atrebates Parochus. Vide Auctaria à nobis edita ad Sigeberti Chronicon anno 1115. & 1117. Eſt autem Ceruicampenſe monaſterium haud procul ab Heſdino Arteſiæ opido ſitum, in diœceſi Ambianenſi. Exſtat apud eundem Locrium vetus Chronicon Caricampenſe, in quo dicitur monaſterium
1141. iſtud anno 1141. demùm fundatum. Vxor dicti Comitis Hugonis iacet ibidem ſepulta, hac inſcriptione: *Hic iacet Beatrix vxor Domini Hugonis Campus auena. Orate pro ea.*

1138. *Bulbrunnũ in Germania.* Anno 1138. *Mulbrunnum*, Abbatia à fonte vicino ſic dicta in Ducatu VVirtenbergenſi à Gunthero Epiſcopo Spirenſi fundatur. Huic Abbatia de *Paris* per Pium II. Papam eſt incorporata, Abbatiali titulo in Prioratum commutato. Ex hoc loco monachi ſæpè adſumpti ſunt ad alia cœnobia regenda: vt ad *Brumbachenſe*, d. Moguntinæ, in Franconia, ad *Speciosam Vallem*, in eodem tractu; ad *Schonauiam* apud Heidelbergam, ad *Otterburgum* in Palatinatu, & ad *Nouam Ciuitatem* in Auſtria. Ita Bruſchius, in Chronologia monaſteriorum Germaniæ, qui & Stampenſis cœnobij eo loco meminit.

S. Anaſtaſij monaſteriũ in Vrbe. Romæ monaſterium ad Aquas Saluias in honorem *S. Anaſtaſij* martyris Innocentius II. Papa conſtruit, & S. Bernardo tradit: qui ex Clara Valle eò Bernardum Piſanum cum ſocijs miſit. Is poſtea fuit Eugenius

Papa

Digitized by Google

Papa III. Baronij Annalium Tomum 12. conſule.

Hoc tempore *Alexander* primus Abbas Mortuii Maris, ſe & domum ſuam tradidit Abbati Vrſicampi. Ita Continuator Sigeberti.

Godefridus ex Priore monaſterij Clara-Vallenſis fit Epiſcopus Lingonenſes. Vide Baron. in Annalibus.

Aurora Abb. in Germania fundata eſt circa annum 1138.

Pariſienſe monaſterium, vulgò *Paris*, in pede Vogeſi montis, conditum lego circa annum Chriſti 1138. olim Abbatiali, pòſt nō niſi Prioratus titulo decoratum. Cùm enim ſumma Abbatum ac monachorum quorundam nobilium negligentia, ad extremã paupertatem eſſet redactum, Pius. II. Pont. Max. circa annum 1453. illud Mulbrunnenſi cœnobio adiunxit, ſiue vt loquuntur, incorporauit, & ſuppreſſa dignitate Abbatiali Prioratum conſtituit. Sicq; per monachos Mulbrunno miſſos diſciplina eſt inſtaurata. Hæc ex Bruſchio & alijs hauſimus.

Paris.

1138.

1453.

Ad *Speciosam Vallem*, & *Brunbacum*, duo potentiſsima in Oſtrofrancis cœnobia exſtruenda, & plantanda, primos Abbates & Monachos ex Mulbrunnēſi Ducatus VVirtenbergenſis monaſterio accitos eſſe, teſtatur Bruſchius, libro ſæpiùs citato, in Mulbrunni

Speciosa Vallis.

Brunbacum.

brunni deſcriptione. Eſt autem Speciosa vallis apud Mechmullum ſita, Brunbacum verò apud VVertheimium opidum.

Salem ſiue Salemitana Abb. *Salomonis villa, nonnullis Alemanni villa, omnium cœnobiorum in Germania facile pulcherrimum atque opulentiſſimum, milliari vno ab Vberlinga Imperiali opido diſtat. Nomen hoc illi inditum volunt, quod ad templi Hieroſolymitani ſimilitudinem ſit conditum: alij verò à Salomone Paſtore quodam deriuant, qui primam ibi cellam ſibi ſtruxerit. Fundator extitit Guntheramus Baro ab Adelſreutte, qui an.*

1138. *1138. obijt.*

Cæterùm maximæ opes ac facultates huic cœnobio acceſſêre, per diligentem ac prudentem œconomiæ adminiſtrationem.

Auxêre & dotem Imperatores Conradus Sueuus anno 1142. & Fredericus Barbaroſſa anno 1155. itemqúe Eberhardus, vel, vt alij vocant, Burchardus Salisburgenſis Epiſcopus, Rom. Sedis Legatus, qui ſecundus huius loci fundator habetur, & honorificè hic in tumulo quieſcit.

Furſtenbergenſes Comites. *In Salemitani cœnobij vicinia eſt caſtrum Sancti-Montis, ad Comites eius nominis ſpectans, quos aliàs Furſtenbergenſes vocant. Dicitur autem Mons ſanctus à SS. Felice, & Regula illic ſepultis.* Ita Bruſchius in Chronologia monaſteriorum Germaniæ.

Sunt in tractu Suæuiæ & plurima Virginum cœnobia, *vt Lucida Vallis, Regis Pons, Corona*

rona Beata Maria, Pons ſalutis, Lucida Stella, Vallis Roſarum, Fons Beatæ Mariæ, Vallis Dei, Vallis Sanctæ Eliſabethæ Sion, Vetus cella, Vallis Angeli, Vallis cœli, Hortus Dei, Cella Sanctæ Mariæ, Vallis Gratiæ, Vallis ſancta, Pura Vallis, Bona Cella, Cœli corona, & Fons virginum. *Sueuiæ monaſteria Virginum.*

In tractu Franconiæ ſunt iſta Virginum cœnobia, *Vallis S. Crucis, Felix aula, Vallis Beatæ Mariæ*, & alia. *Franconiæ.*

In Bauaria, *Felix vallis.*

In Auſtria, *S. Nicolai* monaſterium in vrbe Viennenſi.

In VVeſtfalia, *Porta cœli, Speculum virginum*, cum *Seÿna* vnitum, *Pax Dei, Porta cœli, Fons ſalutis, Fons B. Mariæ*, apud Couſveldiam, *Hortus B. Mariæ, Mons amoris, Pratum* apud Coloniam. *VVeſtfaliæ.*

In Saxonia, *Iſenacenſe* monaſterium, & *S. Crucis.*

In Liuonia, *Portus Sancti Nicolai*, virorum. *Cœnobia Daniæ, virorum.*

In Dania, *Sora*, in Zelandia, item *vitæ Schola*, in Iutlandia, *Tuta Vallis, Inſula Dei, Locus Dei*, & *Regalis curia*, omnia virorum monaſteria.

In Morauia, *Clauſtrum Reginæ*, Virginum.

In Suecia, *Noua Vallis*, & Abbatia *Alueſtrenſis*, virorum, fuerũt & in Noruegia, & Gothlandia *Sueciæ.*

landia aliquot monachorum huius inſtituti monaſteria.

Virorum cœnobia in Sueuia. Sunt item in Germania quàm plurima virorum cœnobia, de quorum fundatoribus nondum nobis conſtat: vt apud Sueuos, *Aurora, Capella, Maris Stella, S. Vrbani,* & *Porta cœli.*

Apud Francones *Vallis Sanctorum,* Prioratus.

In Bauaria. Apud Bauaros, *Campus Principum, Cella Dei, Cella Principum.*

In Auſtria. Apud Auſtriacos, Stirios & Carinthios, *Cella Angelorum, Vallis Dei, S. Crucis, S. Trinitatis,* in Noua Ciuitate Auſtriæ, *Nouus Mons, Victoria, Altum Vadum,* & *Altus Mons.*

In tractu Rhenano verſus Moguntiam & Treueros, *Mons S. Diſibodi, Caſtrum Aquilæ, Locus S. Mariæ.*

In Pomerania. In Pomeraniæ & Pruſiæ tractatu, *Riuus S. Mariæ, Purus Mons, Nouus Campus,* & *Oliua,* in Pruſsia.

In Miſnia, & Luſatia, *Vetus Cella, S. Ægidij,* & *Noua Cella.*

In vtraque Marchia, *Locus cœli, Neruus S. Mariæ,* & *Cœli Porta.*

In tractu VVeſtfaliæ & diœceſi Colonienſi, *Campus S. Mariæ, Mons S. VValpurgis,* Prioratus.

Cœnobium *Ripatorij*, duabus leucis ab vrbe Tribe Tricaſsina diſsitum, anno milleſimo

leſimo centeſimo triceſimonono, prima ſui fundamenta ſortitum eſt, iam inde ab ipſis D. Bernardi temporibus, qui ſelectum ex religioſiſsimo monachorum ſuorum grege Alanum, eidem præfecit, hominem pium iuxta & doctum, tot virtutum præſidio munitum, tantoque comitatu ſeptum, vt earum velut quibuſdam gradibus anno 1151. ſublime Antiſſiodorenſis epiſcopatus cacumen aſcẽſu ſuperauerit. Verùm cùm vſu venire ſoleat, vt ei, qui iucundam vitæ monaſticæ dulcedinem ſemel deguſtarit, nihil ſapiant, minusque ad guſtum ſint ſummorum honorũ faſces & Pontificiæ inſulæ, eccleſiaſtica munera oneris ſimul & honoris aſpernatus, ſupremi vniuerſæ eccleſiæ rectoris conceſſu & permiſſu, ad priſtinum & monaſticum viuendi morem, à quo ſe tamdiu obeſſe ingemiſcebat, poſtquam ſibi licuit, maturè ſe retulit an. 1167. vt tradit Robertus cœnobij S. Mariani monachus in ſuo chronico, & paulò poſt annum 1182. in Claravallenſi monaſterio mortem terrenam vitâ cœleſti commutauit, ibidemq; honorificè conditus eſt. Dictum autem Ripatorij cœnobium ampliſſimis prouentibus, vberrimiſque reditibus copioſiſsimè locupletatum fuiſſe conſtat inſigni liberalitate & munificentia dominorũ de villa Harduini & de Capis, quorum aliqui in eodem poſtremam ſepulchri ſedem dele-

delegerunt, quinetiam idem cœnobium gentilitia Villarduinæ familiæ geſtat inſignia.

Anno eodem fundatam lego Abbatiam S. Mariæ, apud Dublinium Hiberniȩ metropolim.

Florebat hoc tempore Gallicana eccleſia per viros religione atque ſapientia illuſtres; *Milonem* Morinenſem epiſcopum, humilitatis virtute prȩcipuum *Alyſium*, Atrebatenſem, liberalitate atq; facundia & conſilio clarum; *Godefridum*, Lingonenſem; *Hugonem*, Antiſſiodorenſem, *Ioſlenum*, Sueſsionenſem; *Giſfridum*, Carnotenſem; *Albericum* Bituricenſem Archiepiſcopum, ſcientia literarum atq; conſilij prudentia clariſsimum.

Inter hos etiam alios multos tunc claros ſcientiâ viros, *Bernardus* Abbas Clara-Vallẽſis, vir opinatiſsimæ religionis, eminentiſsimè clarebat; qui multorum miraculorum patrator, & verbi Dei feruentiſsimus prædicator, atq; plurimorum monaſteriorum fundator. animarum lucra maxima Deo adhibebat, adeò, vt Magiſtri Scholarum cum magno clericorum comitatu, etiam de longinquis regionibus ad eius optabile magiſterium confluentes centenario vel ampliori nouitiorum numero domum probationis implerent, & vno die Quadrageſimæ monachi fierent. Ita Robertus Abbas Sigebertini Chronici Continuator.

Anno

Anno 1139. S. Bernardus, petente Rogerio Siciliæ Rege monachos aliquot Ciſtertienſis in Siciliam miſit: vt docet Baronius in Annalibus. *Ciſtercienſes in Siciliã mittuntur.*

Cæterùm in Sicilia & in Italia hodieque plurima florent Ordin. Ciſtertienſis monaſteria, quorum nonnulla hîc recenſebo, quòd annos fundationis ignorem.

S. Ambroſii monaſterium, in vrbe Mediolanenſi.

Abbatia de *Gieſij*, in agro inter Anconam & Senogalliam eſt ſita.

Abbatia Claraualleníis, alias de *Fieraſt*, apud Tolentinum.

Abbatia monialium, in vrbe Parmenſi, & aliæ alibi ſunt plurimæ.

Multa eaque illuſtria Ord. Ciſtertienſis monaſteria in Hiſpania viſuntur, quorum pleraque temporibus Sancti Bernardi ſunt excitata: teſte Mariana. lib. decimo. Rerum Hiſpaniæ capit. duodecimo. Alfonſus (*inquit*) Caſtellæ Rex *Bernardo*, Claraualleníi, (quem perſpecta vitæ probitas cœleſtium numero inſeruit, magnique pro religione labores) gentili ſuo in primis deditus erat: eoque auctore plurima Ciſtertienſis familiæ monaſteria exſtruenda curauit: ac fermè. quæ hoc tempore toto illo Hiſpaniæ tractu magnificentiſsima locupletiſsimaque exſtant. Humanarum rerum contemptu id ge- *Hiſpaniæ monaſteria.*

Digitized by Google

id genus homines initio paruo cõtenti, multis eorum ſtudia certatim iuuantibus, quod ad numen propitiandum referre multum, habebant perſuaſum, breui interuallo immenſas diuitias conſtruxerunt. Veniſſe in Hiſpaniam D. Bernardum ſub vitæ finem, ex eius ad Petrum Cluniacẽſem litteris perſpicitur. Sed & templa reliqua & monaſteria, quæ tota ditione conſtructa erant, magnis beneficijs Rex auxit: vt argumento ſunt veteres tabulæ, quæ tota Hiſpania cum fide ſeruantur, in veteribus ſcrinijs, *Dominici Calzadij, AEmiliani Cucullati, Michaelis Petroſi, Dominici Exilienſis* Quæ templa ea tempeſtate, opinione ſanctitatis & concurſu hominum celeberrima erant. Sic Mariana.

S. Bernardus venit in Hiſpaniam.

Operæ pretium fuerit his ſubnectere illuſtriora aliquot Ord. Ciſtercienſis apud Hiſpanos cœnobia.

Primum ſit Populetum, vulgò *Poblet*, in diœceſi Turiaſonenſi apud Aragonios, Abbatia per Raimundum Berengarium Regem an. 1153. fundata. In eodem tractu eſt Abbatia *de Sanctis Crucibus.*

Palazuelos Abbatia in veteri Caſtella, apud Valliſoletum: in qua reſidere ſolet Generalis Præfectus cœnobiorum Ciſtercienſium in Hiſpanijs, qui ſingulis triennijs eligi ſolet. Sunt enim in Hiſpania Abbates tantummodo triennales, non autem perpetui.

Con-

Digitized by Google

Conſtitutum id temporibus Philippi II. Regis Catholici.

Mons Sion, ſiue S. Bernardi Abbatia, propè Toletum.

Vallis Bona, Riuus ſiccus, Vallis Paradiſi. Sancti Martini, Spina, & *Saltus Noualis*, in Caſtella.

S. Prudentij Abbatia in Caſtella veteri, ſecundo lapide à Logronno opido, eo loco fundata tradita traditur, quo S. Iacobus pro Chriſtianis contra Mauros pugnauit, tempore Ramiri Regis.

Vallis Dei, Bellus Mons, & *Villa Noua*, in Aſturia.

Mons Sion Abbatia ad Tagum flu. haud procul Toleto, habet ſecundum ſuffragium in comitijs ſui ordinis.

Vallis digna, vulgò *Valdigna*, Abb. per Iacobum II. Regem fundata, ſecundo miliári à Valentia.

S. Bernardi Abbatia, apud Valentiam.

Benifaſſa Abb. per Iacobum I. Regem dotata, in tractu Tortoſæ.

Sanctæ Fidei Abbatia, *de Santa fé*, ſecundo lapide à Cæſarauguſta in Aragonia.

Petra, item in Aragonia.

Vallis bona Abbatia, *Valbuena*, apud Valliſoletum.

Saltus albus, in regno Legionenſi.

S. Petri de Gumeil Abb. in diœceſi Vxamenſi,

menſi, vulgò Oſmenſi apud pagum *Gumeil del zan Regalis* Abbatia, in Maiorica Inſula.

Sanctorum Martyrum Abb. in vrbe Corduba.

Fiterium ad Piſoricam, *Feytero*. Vide anno 1158.

Fiterium Abbatia, *Feytero*, in Nauarra & diœceſi Pompelonenſi, non procul à Tutela. Idem *Oliua*, & *S. Saluatoris*.

Alcobaza Abb. in Portugallia, per Alfonſum I. Regem fundata.

Ibidem *Stella S. Pauli*, *S. Chriſtophori*, & *S. Petri de Aquilis*.

Bellus Mons, apud Aſtures.

In regno Galeciæ, *Penna maior*, *Caſtrum Regis*, *S. Iuſti*, & *S. Claudij*.

S. Mariæ *Olgenſe* cœnobium, Virginum, apud Burgos.

S. Vincentij, monialium, in vrbe Segouia.

Cataloniæ cœnobia Virginũ. Sunt item Virginum cœnobia in Catalonia, *Sancti Felicis*, *Vallis B. Mariæ*, *Vallis Domicellarum*, *Vallis bona*, *Vallis ſancta*, & *Sancti Hilarij*.

In regno Valentiæ, *Mons ſanctus*.

In regno Cordubæ, *Sancta Maria*, *Dominarum*.

In tractu Hiſpalenſi, *S. Clementis*, & *S. Catharina*.

In re-

Digitized by Google

In regno Caſtellæ, *S. Anna, S. Scholaſticæ, S. Spiritus* apud Vlmedum, *S. Maria Regalis*, apud Valliſoletum, *Fons Calidus, S. Maria de Villa maiore, S. Maria Regalis, apud Burgos, S. Benedicti, S. Bernardi in opido Guadalaxara, S. Felicis, S. Andreæ, S. Columbæ*, aliàs *S. Saluatoris, Turris Cremata, S. Vincentij* in Segouia, & *S. Dominici veteris* in Toleto. *Caſtella.*

In regno Legionenſi, *Vallis bona*, & *S. Michaelis*.

In regno Portugalliæ, *S. Benedicti, S. Saluatoris*, & *S. Bernardi*.

In Germania in d. Conſtantienſi Virginum cœnobiũ viſitur, quod olim Aquarum Hauſtus, vulgò *VVaſſerſchapffen*, fortè ab innumerabilibus pęnè in vicinia fonticulis dictum, poſtea à S. Crucis particula ex Augia diuite huc, vt dicitur, allatâ, Vallis S. Crucis eſt appellatum. Fundatum legitur circa annum 1140. Equite quodam Althano, vt tradunt, locum fundumque donante. Pòſt bellicis tumultibus euerſum, ab Hegone Comite Landauuenſi inſtaurari cœptum eſt anno circiter 1230. *Vallis S. Crucis.* 1140.

Illuſtre hoc monialium nobili ſtemmate natarum cœnobium, apud Riedlingam, in Sueuia ſitum. Salemitani Abbatis viſitationi ſubeſt. Ita Bruſchius.

Anno 1140. in d. Paderbornenſi in VVeſtphalia fundata eſt Abb. dicta Harſvvitenhu-

ſen, vulgò Hardenhauſen, ſumptibus D. Bernardi ab Ozede Epiſcopi Paderbornenſ. & è Veteri Campo Monachi iſtuc traducti. Chronicon Campenſe.

Eodem quoque anno extructum eſt in Haſsia, monaſterium Heghena à Poppone Berthaque Comitibus. Floruit Conradus Monachus & archigrammateus, miraculis clarus.

Anno eodem cœnobium S. Mariæ de *Frigido Monte*, à Valeramo Abbate Vrſicampi fundatur, ſub electo patre Manaſſe. Ita Continuator Sigeberti.

Stephanus patriâ Catalaunenſis, Monachum Ord. Ciſtertienſis, ab Innocentio II. creatur Card. & Epiſcopus Prænestinus. Meminit illius Alamannus in vita S. Bernardi. Exſtant ad eundem variæ S. Bernardi epiſtolæ.

Anno eodem tradunt fundatam Abbatiam *S. Anaſtaſij* in vrbe Roma, *Caſam Marij* in agro Romano, & Abbatiam *Mellifontis* in Hibernia. De Caſa Marij vide Baronium in Annalibus, anno 1030. §. 11.

Sabaudiæ monaſteria. Vt de Sabaudiæ monaſterijs aliquid dicamus, Amadeus II. Sabaudiæ Comes anno 1140. inſtituit Abbatiã ſuper Montem Bieugæum, vulgò de *Bieugeois*. Humbertus Comes an. 1193. monaſterium in *Alpina Rupe* ad lacum Lemanum, haud procul à Geneua,

vulgò

vulgò *l'Abbaye des Alpes*, & *Altercombaum* cœnobium, Gallicè *l'Abbaye de Hautecombe* fundauit. De quibus vide Paradinum in Sabaud. Chronicis: Sunt item apud Sabaudos *Stamedium*, *Bonus Mons*, *Alta Criſta*, *Alta Ripa*, *S. Sulpitij*, & alia cœnobia.

Item Virginum cœnobia, *Via cœli*, *Bonus locus*, *Vallis nigra*, *Bella Vallis*, *Alta Ripa*, *Rotundus Mons*, & alia.

Anno 1141. fundata traditur Abbatia *Boni Loci* in d. Burdegalenſi, & *Porta gloriæ* in Saxonia.

Anno 1142. fundata eſt Abbatia *Victoria* in Carinthia, *Alta Criſta* in Burgundia, & *Bomgardenſis* Ab. in Bergenſi Ducatu, d. Colonienſis, item *Vetus Mons* ſiue Bergenſis Abb. in d. Colonienſi.

Valeramus primus Abbas Vrſicampi, fundator duarum Abbatiarum, nimirũ Pratenſis, & Frigidi Montis, moritur: exceptâ tertiâ, quam ſibi adoptauit in filiam. Ita Continuator Sigeberti.

Anno eodem comitia Imperij celebrantur Francofurti ad Mœnum, quibus S. Bernardus interfuit.

Anno 1143. VVolfherus, aliàs VVolframus de Tegærnbanck, & vxor eius Hemma, in prædio ſuo *Schuking* fundare cœperunt *Raitenhaſlacheuſen Abbatiam*, primo Abbate eiuſdem loci Domino *Gerone*, viro venera- *Raitenhaſlachẽſis Abb. in Bauaria.*

 bili

bili exiſtente; poſtea verò anno Domini 1146. præſidente in Sede Romana ſanctiſsimo Papa, Eugenio III. Pontificatus ſui anno 2. in ipſo verò Rom. Imp. feliciter regnante Conrado Secundo, Imperij ſui nouo feliciſsimè, omni reuerentia honoris digniſsimę memoriæ Dominus *Conradus* primus Saliſburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, conſiderans ſitum loci non eſſe aptū illi ordini; habito conſilio, ex conſenſu petitionis prędicti VVolfheri ad habitationem fratrū & ſitum cœnobij, ad præfatum ordinem obſeruandum, antiquā ſuam Eccleſiam Raitenhaſlach in hoc loco ſitam & conſtructam, quondam ſub patrocinio S. Pancratij Martyris (vt tradit antiquitas) cum decimis, dote & familia, omnibus neceſſarijs, remotâ Parochiâ, tradidit, vt in ipſius priuilegijs latiùs continetur.

EVGENIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs, Geroni Abbati, eiusq; fratribus de Raitenhaſlach, tàm præſentibus quàm futuris, regularem vitam profeſsis in perpetuum. Religioſis deſiderijs dignum eſt facilem præbere conſenſum, vt fidelis deuotio celerem ſortiatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij, veſtris iuſtis poſtulationibus, clementer annuimus, & præfatum locum, in quo diuino mancipati eſtis officio, ſub beati Petri & noſtra prote-

ctione

ctione ſuſcipimus, ſtatuentes, vt quaſcunque poſſeſsiones, quæcunque bona idem monaſterium Raitenhaſlach iuſtè, canonicè poſsidet, aut in futurum conceſsione Pontificum, largitione Regum ac Principum, oblatione fideliũ, ſeu alijs iuſtis modis, Dño propitio, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſq; ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hęc proprijs duxim⁹ expriméda vocabulis, locũ ipſum, quemadmodũ à venerabili fratre noſtro Cunrado, Salisburgenſi Archiepiſcopo, vobis piâ deuotiõe collatus eſt, VVindeberge cum omnibus appendicijs ſuis, Tierolfingen manſum vnum, cum paſcuis, cultis & incultis, quæſitis legitimè & acquirẽdis, in ſylua, quæ vulgò dicitur Amphinger forſt, paſcua Porteúe, areamque Sceulingen, in Fraſthuzinga nominatur, in Ratisponenſi Epiſcopatu, prædium in loco, qui Moſvogl vocatur; ſic à nobili viro VVolphero, vxore quoque & filijs ſuis rationabiliter vobis conceſſum eſt, ſanè laborum, fortè agrorum veſtrorum, quos proprijs manibus ac ſumptibus colitis, ſiue de nutrimentis veſtrorum animalium nullus à vobis decimas exigere præſumat. Decernimus ergò, vt nulli omninò liceat præfatum monaſterium temerè perturbare, aut eius poſſeſsiones auferre, vel ablatas retinere, manere, aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia

integra conſeruentur eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione ſunt vſibus omnimodis profutura, ſalua Sedis Apoſtolicę authoritate & diœceſanorum Epiſcoporum Canonica iuſtitia, &c. Datum apud vicum Pronianum an. 1146. Hactenus ex Hundio.

Luca in Polonia. Hoc ipſo anno 1143. fundata eſt Abbatia *Lucenſis* in Polonia, *Francarum Valliũ* in Prouincia, *Bellæ Pertica* in Vaſconia, & *Spina* in Hiſpania.

Lego item in Polonia minore fuiſſe Abbatiam *Clara Tomba*, & in Polonia maiore Abbatiam *Paradiſi*.

Sic & in Bohemia numerantur & laudantur, *Aula Regia, S. Corona, Altum Vadum, Sacer Campus*, & *Nouum Nemus*.

Anno 1144. tradunt fundatam Abbatiam *Belli Loci* in d. Rutenenſi, & *Grandis Siluæ* in Vaſconia; item *Sconauiam*, apud Heidelbergam.

Eugenius 3. fit Papa ex Ord. Ciſterti-enſi. Anno 1145. poſt obitum Lucij II. Papæ, ob tumultuantes Romanos Arnaldiſtas conuenerunt vnanimes Cardinales metuentes, in Eccleſiam monaſterij ſancti Cæſarij, illicque Dei nutu, haud de gremio, ex more aliquem eligendum putarunt ex Cardinalibus in Romanum Pontificem, ſed conuertentes oculos in Abbatem monaſterij S. Anaſtaſij Trium fontium, Ordinis Ciſtertienſis, eidẽ haud pridem ſub Innocentio Papa II. à Sancto Ber-

cto Bernardo præfectum, *Bernardum* itidem nominatum, patria Piſanum, virum probitate inſignem, & prudentia in negotijs obeundis locupletem, tempore perditiſsimo, quo huiuſcemodi bello ciuili Vrbs flagraret, putarunt fore aptiſsimum; quem cùm ſagaciſsimum fuiſſent experti, pari conſenſu ſumma concordia elegerunt. Ita Baronius in Annalibus. Dictus eſt autem Eugenius III. Papa. Quod cùm certò intellexiſſet S. Bernardus, aureas ad ſuum olim diſcipulum litteras dedit, hoc initio: *Amantiſsimo Patri & Domino, Dei gratia ſummo Pontifici Eugenio Bernardus Clara-Vallis vocatus Abbas, modicum id quod eſt. Auditum eſt in terra noſtra, &c.* Scripſit & aliam epiſtolam ad Cardinales, quæ eſt numero 236. *Epiſt.237*

Otterburgenſis Abb. apud Kayſerlautern Palatinatus opidũ fundata eſt circa an.1145.

Anno 1146. Lapis S. Michaelis in Saxonia ſic dictum Monaſterium à Campẽſibus ope Beatricis Quedelimburgenſis Abbatiſſæ ædificatur.

Anno eodem Eccleſia Tornacenſis, quæ ab annis ferè 600. proprio caruerat Epiſcopo, procurante S. Bernardo, rurſus propriũ accepit Epiſcopum, nomine Anſelmum, antea Abbatem S. Vincentij Laudunenſis: qui Romæ ab Eugenio III. eſt conſecratus. Ita Robertus Montenſis.] 1146

S. Bernardo crucem per Gallias prædicante, Ludouicus Rex cum Ludouico Flandriæ Comite, & Henrico Theobaldi Bleſenſis Comitis filio, Vizeliaci crucem ſuſcipit, & anno ſequente in Syriam ſe contulit. *Idem & Baronius.*

In Natali Domini apud Spiram S. Bernardus Conradum Romanorum Regem, cruce ſignat. *Baronius.*

Anno eodem fundata dicitur Abbatia de *Liſa* in Noruegia, *Sana Vallis* apud Venetos.

Henricus Murdacus ex Abbate Fontanenſi creatur Archiepiſcopus Eboracenſis in Anglia ab Eugenio III. vt teſtatur Griel. Neubrigenſis lib. 1. c. 17.

Anno 1147. S. Bernardus Germaniam peragrauit. Chriſti virtute cæcis viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum, mutis vocem reſtituens, diuerſos morbos curans, variaq; prodigia Coloniæ, Aquiſgrani in Brouvviler & paſsim edens. Ex vita ipſius, deſcripta per Gulielmum Abbatem.

Villarienſis Abb. in Brabantia fundatur. Brabantiam noſtram Sanctus Bernardus Abbas Clarauallēſis prædicando ſæpius peragrauit. Affligenium veniens duas ibi conciones habuit, & monachos ad Ciſtertienſis ordinis inſtitutum amplectēdum cohortatus eſt; ſed irrito conatu. Inde Gemblacum ſe contulit, atque ibi caſulam ſuam, quâ Miſſarum ſolemnia celebrarat, in beneuo-

lentia

lentiæ teſtimonium reliquit: quæ Gemblaci hodieque adſeruatur. Itaque rogatus à pluribus, vt ſui inſtituti ſodales aliquot in Brabantiam mitteret, monachos duodecim cum *Laurentio* Abbate, tertiodecimo, & Conuerſis quinque ex Claraualle, tranſmiſit. Hi in *Boueria*, ad fontem *Goddiarch* ſubſiſtentes, cùm agri aliquot ipſis eſſent oblati, ibidem monaſterium atque oratorium rudi opera anno 1147. conſtruxerunt: *Godefrido Tertio*, Duce apud Brabantos imperante. 1147.

Superuenit poſtmodum ipſe S. Bernardus; quo ſuadẽte ad vallem medias inter ſiluas ſitam ad flumen *Tiliam*, quia commodior eſſet, ſeſe tranſtulerunt, in qua hodiéque ſedem habent (quod monaſterium hodie *Villarium* ſeu *Villare* nuncupatur) eſtque illud ipſum à S. Bernardo anno 1151. viſitatum. Quo etiam tempore diuina in illo celebrauit. *Louanienſes ſuauiori voce Diliam nuncupant.*

Inter Abbates præ cæteris enituerunt iſti. CAROLVS Abbas VIII. frater Comitis Seynenſis, & antea generoſus in ſeculo miles ſiue eques. Fuerat is primus Monachus in Hemmenroda, eſtque inde ad Abbatialem dignitatem inuitus à Capitulo generali abſtractus. Floruit anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo, & latere volens, Hemmenrodam demum rediјt, obijt-

obijtque in monialium S. Agathæ eiuſdem ordinis Abbatia.

Conradus 9. Abbas, pòſt Cardinalis. ANNO 1209. CONRADVS IX. Abbas, filius Comitis Seynenſis, ex Canonico S. Lamberti Leodienſis, monachus in Villario, deinde Prior, ac demum Abbas factus, nec diu virtus eius intra Brabantiæ terminos latere potuit. Itaque Claraualllenſis primus, poſtea Ciſtertienſis Abbas creatus, ac demùm ab Honorio III. Pontifice Maximo Cardinalis & Epiſcopus Portuenſis eſt deſignatus: Sedis Apoſtolicę Legatus cùm eſſet, Bononiæ Dominicanorum inſtitutum tunc recens natum approbauit; vt in vita S. Dominici legitur. Pòſt in Germaniam veniẽs, Moguntiæ concilium celebrauit, & multa in eo vtilia decreuit.

Defuncto poſtmodum Pontifice, cum de ſucceſſore nominãdo Cardinales acriter diſputarent, viſum fuit inter tres Cardinales, quos inter & *Conradus* fuit, compromiſſum facere. Cumq; alij duo ipſum deſignare vellent Pontificem, *Abſit*, inquit, *vt ego meipſum dicar elegiſſe.*

Morti vicinus cygneam hanc vocem vir optimus emiſit; *vtinam vſque in hanc horam in Villari ſub diſciplina vixiſſem regulari, & cum culina hebdomadarijs ibidẽ ſcutellas abluiſſem.*

Conradum hunc noſtrum media inter negotia ſecularia, pijs cœleſtibusque meditatio-

tationibus deditiſsimum fuiſſe commemo- *Lib. 1.*
rat Thomas Cantipratanus. Sanctitatem *Apũ c.9.*
quoq; illius Chronica Brabantiæ commendant. Vide infrà an.1219.

Guilielmus Abbas XI. ab eximiam in pauperes liberalitatem, à Thoma Cantipratano laudatus, ad cœnobia Grandipratenſe in agro Namurcenſi, & Bernardinum in Brabantia ad Scaldim, colonias deduxit. Pòſt Abbas Clarauallẽſis creatus, ibidem eſt conditus, non ſine ſignis vitæ ſanctiſsimè & caſtiſsimè peractæ. Qua de re vide verſus paulò infrà poſitos.

Amelricus primus monachus Funiacenſis, *Circa annũ 1268.*
poſt in Trium fontium: deinde in S.Remigij cœnobio, ac demùm Villarienſis Abbas XVIII.fuit. Is plurimorum vtriuſque ſexus *De quib. plura vide paulò infrà.*
beatorum ac ſanctitate illuſtrium corpora poſt altare ſummum repoſuit; hac inſcriptione addita:

Ecce latent fratris Arnulfi Cornibut *oſſa*;
Hic iacet Abundus Huyẽſis, *crimine mũdus*;
Clauderis hac ciſta Godefride *beate Sacriſta*;
Qui vitium neſcit, Bonifacius *hîc requieſcit*;
Hic de Niuella Marquinna *iacet domicella*;
Calcans mundana de Cornelion Iuliana;
Sis ſancti Syri memor Helvvigen *ſepeliri*;
De Grauio *iacet hic dulcis & honeſta* Maria,

Rachel

Rachel, non Lia, propriè fuit iſta Maria;
Hic iacet Henricus *Monachus* de Geeſt, *inimicus*
Mundi, cui clerus quondam fuerat ſat amicus;
De *a* Dongelberto *iacet iſtic nomine certo*
Guilielmus *dictus, monach⁹ vitâ benedictus.*
Hi mundo corde vixerunt & ſine ſorde,
Vitæ forma dati nobis ſunt hîc tumulati.

a Fuit nobili genere Dongelbertorum natus.

Horum Beatorum ſacra oſſa R. D. Robertus Henrion Abbas Villarienſis XLVIII. è veteri tumulo in ſacellum magnificè adornatum an. 1599. transferenda curauit.

Licet quædam attexere ex manu ſcripto Chronico Villarienſi.

Arnulfus Geſtellenſis primùm Abbas loci S. Bernardi apud Antuerpiam, poſt Villariēſis Abbas XIX. an. 1271. creatus præfuit annis 5. Cuius quidem temporibus traduntur in Villario fuiſſe monachi centum, & Conuerſi trecenti.

Dionyſius Zeuerdonchus Bruxellenſis ex Decano & Canonico Lirano Abbas Villarienſis XLIV. primus mitrâ pontificali vſus eſt, ex Romani Pontificis indulto, *Ioan. Regnaultio*, Maletenſi, Abbati XLIII. & poſt Epiſcopo Megarenſi, iam pridem conceſſo. Item diſciplinam prædeceſſorum incuria collapſam reuocauit, atque ędificia Villarienſia domi foriſque magnificè inſtaurauit. Quo aliiſque nominibus, Carolo V. Imper.

eiuſque

eiuſque ſorori Mariæ Hungaricæ, Belgarum Gubernatrici, gratiſsimus exſtitit, obijtque an. milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto.

Hactenus de Abbatibus. Pauca liceat hoc loco ſubiungere *de Cæſario Heiſterbacēſi.* Fuit is Prior Villarienſis, ſub Gulielmo VII. Abbate Villarienſi, olim Priore Heiſterbacenſi; idemque venerabili Godefrido Sacriſtæ Villarienſi perfamiliaris exſtitit. De quo & alijs monachis Villarienſibus ſanctitate conſpicuis idem Cæſarius multa commemorat in ſuis Dialogorum libris.

De iiſdem multa Tho. Cantipratanus in libris Apum.

Hæc ex Chronico manuſcripto Villarienſi hauſimus, quod ibidem exſtat manuſcriptum. Exſtant & in Rubræ Vallis monaſterio apud Bruxellam, Chronica Abbatum Villarienſium, hoc initio, *Cum aliquando.* Item Geſta virorum illuſtrium monaſterij Villarienſis, hoc initio, *Dominus Carolus.* Quæ omnia vtinam aliquando in lucem proferantur, & deſcribantur ex libro, cui titulus, *Nouale Sanctorum.*

Cæterùm in veteri codice manuſcripto, qui apud me exſtat, poſt vitam B. Arnulfi Conuerſi Villarienſis, ſic legitur de venerabili Guilielmo XI. Abbate Villarienſi: *Verſus de miraculo, quod contigit Domino Guilielmo quondam Abbati Villarienſi, poſtea Clarauallenſi poſt obitum eius, ſcilicet quod virilia vel*

etiam

etiam ipſorum cicatrices non ſunt inuentæ penitus in eo, nec ſexus aliquis, ſed locus ibidem totus planus & æquus inuentus:

Pullulat inſignis victoria virginitatis,
Guilielmo *ſignis poſt fata micante beatis,*
Inquinet vt nulla corpus pollutio, ſexus
In dubio flexus, ſtabili ſtat in inguine bulla;
Felix Eunuchi pia conſolatio luci,
Subtractus fragili virtute refulget herili,
Sed nec martyrij penitus priuatus honore,
Qui fuit exilij ſocius, virtutis amore.

Quod ad filias Abbatiæ Villarienſis attinet, ſunt eæ duæ admodum nobiles, nimirum *Grandipratenſis* anno 1231. & Altera *S. Bernardi* apud Antuerpiam anno 1238. nata: vt tradit auctor Chronici Villarienſis.

In Villario ſepulti ſunt Henricus II. Brabantiæ Dux, cum vxore Sophia, quæ erat filia S. Eliſabethæ, & Ioannes III. itidem Dux Brabantiæ.

DE MONACHIS VILLARIENSIbus, ſanctitate illuſtribus.

B. Abundus.

VEnerabilis *Abundus* Villarienſis Monachus, patriâ Huyenſis, quod opidũ eſt prouinciæ Leodienſis, floruit circa annum 1220. prophetico ſpiritu & miraculis clarus. De quo vide Chronicon Villarienſe, & Ioannem d'Aſignies cap. 26. Vita eius exſtat manu ſcripta in Villario.

B. Ar-

B. Arnulfus Cornibautius, Laicus ſeu Conuerſus, vt vocant, Villariẽſis, patria Bruxellenſis, vir ſanctiſsimus, & prophetiæ dono clarus obijt, Anno 1228. pridie kalend. Iulij, expletis in Ordine Ciſtertienſi annis viginti ſex, & quod excurrit. Vitam eius libris duobus conſcripſit Goſuinus Boſſutus, Monachus & Cantor Villarienſis, quia apud me ſunt manuſcripti, hactenus typis non editi. Nam quæ de eius vita Franciſcus Moſchus ex Schedis edidit, longè ab his libris ſunt diuerſa. *B. Arnulfus Cornibautius.*

Venerabilis *Bonifacius* primum Monachus Claraualleniſis, pòſt Villarienſis in Brabantia Prior, floruit circa annum 1170. & quieſcit in Villario. De quo vide Chronicon Villarienſe. *Ve. Bonifacius.* 1170.

Venerabilis *Franco*, nobili Equitum Arkennenſium genere in Brabantia natus, cruce ſignatus, cum vtroque filio in Syria contra Soldanum fortiter bella geſsit. Vterque filius in Syria occubuit; ipſe in Belgicam redux, monaſticen in Villarienſi Ciſtertienſium cœnobio amplexus eſt, vbi & vita eius legitur rythmicè conſcripta. *Ve. Franco.*

Venerabilis *Gobertus*, Comes Aſperi Montis, relicta ſæculari militia, Ciſtertienſe inſtitutum in Villario Brabantiæ cœnobio amplexus eſt. Frater illi fuit natu grandior Ioannes, primum Virdunenſis, pòſt Meten- *V. Gobertus.*

1263. ſis Epiſcopus. Obijt Gobertus anno 1263. in feſto S. Bernardi, in villario honorificè conditus. Exſtatq; ibidem vita eius libris tribus conſcripta, quam Gallicè reddidit Ioannes d'Aſsignies cap. 36.

Ve. Godefridus. 1170. Venerabilis *Godefridus* Coloniæ primum Benedictinus, poſt Ciſtercienſis in Villario monachus & Sacriſta, floruit circa an. 1170. Quieſcit in Villario, vbi & vita eius adſeruatur manuſcripta: quam idem d'Aſsignies Gallicè reddidit cap. 45.

B. Iuliana Corneliẽſis. Beata *Iuliana Cornelienſis*, virginibus inſtituti Ciſtercienſis in Cornelio Monte ad muros vrbis Leodicenſis præfuit; quo loco nunc eſt hoſpitale, vt vocant, leſtroſorum. Hæc virgo ſanctiſsima diuinâ reuelatione monituq; compulſa, inſtitutionẽ feſti venerabilis Sacramenti, ad Orthodoxę religionis augmentũ in primis promouit; re omni cum Iacobo Trecenſi, Canonico & Archidiacono Leodienſi, (qui poſt Vrbanus, eo nomine Quartus, Romanus Põtifex fuit) itemq; cum Guidone Cameracenſi Epiſcopo, & alijs viris integerrimis communicata. Huius etiam Iuliana hortatu, *Ioannes* Ord. Ciſtercienſis monachus, in Cornelio Monte Deo ſeruiẽs, de Venerab. Sacramento officiũ Eccleſiaſticum propriũ, cuius hoc eſt exordiũ; *Animarũ cibus*, concinnauit; quod à ſupra nominatis, alijſq; magnis viris adprobatũ Leodici, Tun-

gris

gris & alibi in vſu fuit, priuſquam ab Vrbano IV. officium, à B. Thoma Aquinate compoſitum, eſſet publicatum.

Porrò Vrbanus iam Pontifex creatus, feſtum à ſe Leodici olim celebratum per vniuerſum Orbem, quotannis cum ſolenni ſupplicatione, coli ſeruarique præcepit. ANNO 1264.

Hiſtoriam reuelationis beatæ Iulianæ diuinitus factæ, & inſtitutionis huius feſti ſcripſit Ioannes Blærus Diſthemius, Prior cœnobij Sancti Iacobi Leodicenſis; quæ exſtat in Speculo magno exemplorum nuper Duaci edito.

Eandem Guilielmus Ianius, Canonicus Sancti Martini Leodicenſis, fuſiùs conſcripſit, breui, vt ſpero, typis ab ipſo euulgandam. De eadem Molanum in Natalibus SS. Belgij conſule, & Gretſerum libro de inſtitutione Feſtorum dierum.

Cæterùm Iuliana pro Chriſto peregrina, Foſsis, quod opidum eſt prouinciæ Leodicenſis, anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimoſeptimo, in Domino obdormiuit; 1257.
inde, tertio poſt obitum die, ad Villarienſe Ciſtertienſium in Brabantia cœnobiũ tranſlata, & ſacra inter corpora honorificè cõdita. Vita eius libris duobus comprehenſa exſtat in Rubræ Vallis cœnobio, apud Bruxellam, itemque Leodici & alibi.

Venerab. *Godefridus* cognomẽto Pacomius,

patriâ fuit Louanienſis, primum Canonicum regularis Ord. S. Auguſtini, poſtea monachum in Villario: cuius vitam ex Chronico Villarienſi Gallicè reddidit Ioannes d'Aſsignies lib. 1. cap. 48.

Alterſpachenſe apud Bauaros monaſterium circa annum 1050. à Bernardo viro nobili fundatum, expulſis popularibus myſtis, inſtante S. Bernardo, circa an. 1147. Ciſtertienſibus traditur. Ita Hundius in Metropoli Salisburgenſi.

Conradus Rex Romanorum Francofurti exiſtens, in feſto Purificationis beatæ Mariæ, per manus S. Bernardi crucem ſuſcipit, & menſe Maio contra Turcos proficiſcitur. Ita Robertus Montenſis.

Anno eodem fundantur *Vallis Doro*, & *Vallis Dei*, in Anglia, *Bona Vallis* in d. Rutemenſi.

S. Bernardus Henricianos & Apoſtolicos eo tempore exortos in Gallia hæreticos debellat, & nominatim Toloſæ concionatur: vt fusè Baronius in Annalibus diſſerit.

Anno 1148. XV. Kalend. Iulij proceſsit Conuentus cum Abbate ſuo *Richardo de Bloſevilla* à Mortuo Mari, miſſus à Domino Stephano tunc Abbate Mortui maris; & venit in hunc locum, qui dicitur *Botum*, ſitum in territorio Rotomagenſi. Multis namque precibus Matildis Imperatrix, filia Magni Hen- *Botum.*

Henrici regis Angliȩ,& mater illuſtris Henrici regis Angliæ,à prædicto Stephano, Abbate Mortui Maris, obtinuit, vt Conuentus inde mitteretur ad conſtruendam Abbatiam Ciſtertienſis ordinis,ad laudem & honorem Dei & beatæ Mariæ,omniumq́; Sanctorum. Ita Robertus Sigeberti Continuator.

Anno 1148. *S. Malachias* Hibernorum Epiſcopus & Apoſtolicæ Sedis Legatus,voluntate Dei finem vitæ ſortitus, apud Clarauallem,ſicut ipſe præelegerat & prædixerat, locum ſepulturæ accepit. Cui ſucceſsit *Chriſtianus* Abbas Mellifontis, vir plurima ſanctitate præditus,qui eiuſdem ſancti viri Archidiaconus extiterat, & primus Abbas de ordine Ciſtertienſi in Hiberniam ab Abbate Clarauallis ſacræ memoriȩ Bernardo fuerat deſtinatus. Ita Robertus Montenſis, & Baron. in Annalibus. *S. Malachias Epiſcop. moritur. Chriſtianus Abbas primus ex ord. Ciſtert. in Hibernia.*

Fuit autem Malachias. Epiſcopus Conuerthenſis, Romano Martyrologio ad diem 3.Nouembr.adſcriptus: cuius vitam ſcripſit S.Bernardus.

Anno eodem IX.Kal.Auguſti templum *Camberonēſe*,à nobiliſsimo viro *Anſelmo*,Domini Traſigniacenſis filio, Peronæ Domino & Canonico Sonegienſi fundatum, & poſtridiè S.Lucæ,à Nicolao Cameracenſi Epiſcopo cõſecratum, tradit Iacobus Guiſianus in manuſcriptis Hannonicæ Chronicis. *Camberonenſis ab. in Hannonia.*

Idem, ſed fuſiùs, narrant Regeſta eius loci, in hunc ferè modum: *Anſelmus à Perona*, nobilis clericus & Theſaurarius Eccleſiæ Sonegienſis, cum Deo & beato Bernardo, Abbati Claraualleſi, quidquid agrorum poſsidebat in tractu Camberonenſi, obtuliſſet, venerabilis *Faſtredus*, ſiue *Faſtradus* cum ſocijs aliquot eò miſſus eſt, ad monaſterium exſtruendum, anno milleſimo centeſimo quadrageſimo octauo, ibiq; primus Abbas conſtitutus.

Paſsi ſunt autem aliquamdiu *Anſelmus* & *Faſtredus*, cum ſocijs, moleſtias graues, quodam *AEgidio Sillio* eas concitante; donec tandem *Balduino* Hannoniæ Comite, & *Nicolao* Cameracenſi Epiſcopo, alijſque proceribus præſentibus, res omnes ſopitæ fuerunt.

Cùm autem dictus Epiſcopus Nicolaus magnâ rerum penuriâ fratres Camberonenſes laborare animaduertiſſet, multis precibus à Sonegienſi Canonicorum collegio ipſis vitæ ſubſidia impetrauit.

De Roberto & Faſtrido abbatibus, vide plura ad an. 1098. Porrò *Faſtredus* tanta cum laude ſuo hic munere functus eſt, vt defuncto *Roberto Brugenſi*, Abbate Clarauallenſi, tertius Abbas Clarauallenſis, ac demùm Ciſtertienſis, adeoque totius ordinis Præfectus ſit deſignatus.

Cùm autem negotiorum cauſa Pariſios poſteà

poſteà ad Alexandrum Papam ſeſe contuliſſet, febre correptus, & ſacra vnctione ab ipſo Pontifice munitus, ibidem in Domino obdormiuit, Ludouico Galliæ Rege, cum magna Principum turba, adſtante. Corpus paulò pòſt inde Ciſtertium tranſlatum eſt, atque honorificè conditum. Hactenus ex monumentis cœnobij Camberonenſis.

Porrò in Camberonenſi cœnobio hodieque viſitur imago DEIPARAE Virginis, cultu miraculisq; illuſtris; quam cùm Iudęus quidam impius Guilielmus nomine an. 1322. haſta ſeu telo violaſſet, ex ea ſanguis confeſtim effluxit. De huius loci miraculis exſtat liber, *à VValrando Caoultio* nuper Latinè editus. Similia legere qui volet, Ioannem Damaſcenum, alioſque veteres ac fidos ſcriptores conſulat. *B. Virgo Camberonenſis.*

Ex Hannonia in ditionem Leodicenſem tranſeamus: in qua celeberrima eſt Abbatia *Alnenſis*. De cuius cœnobij conditore veteres inter ſe diſſentiunt ſcriptores. Fulcuinus Abbas Laubienſis in Chronico ſuo tradit à *Sancto Vrſmaro* Epiſcopo & Abbate Laubienſi *monaſterium in Alna conſtructum eſſe, & Laubijs ſubiectum.* Philippus ab Eleemoſyna, Abbas Bonæ ſpei, in hiſtoria vitæ S. Landelini, alijque paſsim, hanc gloriam *B. Landelino*, ex prædone per S. Aubertum, *Alna d. Leodia.*

Cameracenſem Epiſcopum ad Chriſtum conuerſo, attribuunt. Idem conſtans traditio, apud Alnenſes per manus veluti accepta, & monumenta Alnenſia loquuntur : ex quibus nos ipſi, cùm Alnæ eſſemus, iſta hauſimus.

Abbatia Alnenſis inchoata eſt à *S. Landelino*. & conſtituti ſunt ibi ab eo clerici Communis vitæ dicti, qui ibidem habitarunt vſ-
1144. que ad annum Chriſti 1144. Quo quidem anno, *Alberone II.* Epiſcopo Leodicenſi auxiliante, & *Radulfo* Abbate procurante, prædicti clerici habitum Canonicorum regularium ordinis S. Auguſtini ſuſceperunt. In quo ordine annis tantum quatuor permã-
1148. ſerunt, vſque ad annum 1148. quando per *B. Bernardum*, opera & auxilio Henrici II. Leodicenſis Epiſcopi, tranſlati ſunt ad ordinem Ciſtertienſem. Et anno eodem, menſe Decembri, miſſus eſt huc conuentus monachorum ex Clara-valle, inter quos religionis feruore præcipui eminebant, *Philippus* quondam Archidiaconus, & *Vbalterus* olim Canonicus Eccleſiæ cathedralis Leodicenſis, & *Verricus* Prior, per beati Bernardi prædicationem ad ordinem Ciſtertienſem vocati.

Ius mitra vtendi primus ex Abbatibus à Romano Pontifice obtinuit *Ægidius Preſlaus*, Doctor Theologus, qui obijt anno 1484.

In

In ipſis porrò Alnenſis cœnobij foribus verſiculos iſtos marmori inciſos me legere memini:

Has Landelinus ſedes erexit, & Alna
Impoſuit nomen vicinis nomen ab alnis.*

Itaque dicere liceat Alnenſe cœnobium, primitus quidem à beato Landelino incoatum, ſed à beato Vrſmaro perfectum, & à S. Bernardo regulæ Ciſtertienſi adſcriptum.

* *Arboris genus eſt ibi frequens.*

Cæterùm hiſtorici Leodicenſes memorant *B. Bernardũ*, in palatio Henrici II. Leodicenſis Epiſcopi, dum ſacram crucis militiam aduerſus Turcas prædicaret, tria patraſſe miracula; iiſq; commotum Præſulem, hortante etiam Bernardo, Alnenſem Canonicorum regularium baſilicam, Ciſtertienſibus monachis tradidiſſe. Quibus de rebus, lege, ſi placet, AEgidium Leodicenſem, Anicæ vallis monachum, alioſque rerum Leodicenſium ſcriptores, anno 1612. Leodici iunctim editos.

Eſt autem *Alna* potens ac nobilis Abbatia, ad Sabim fluuium, medios inter montes denſaſque ſyluas poſita, miliari ferè vno à Tudinio ditionis Leodicenſis opido, cui vicinum eſt Laudienſe Benedictinorum cœnobium. Mirati fuimus cùm Alnæ eſſemus, eximium templi, cæterorumque ædificiorum ſplendorem, regiamque amplitudinem; vt, ſi quis omnia conferat, palmam inter cæ-

Digitized by Google

tera Belgica (ex quibus pleraque tamen magnificentiſsimè ſtructa) ſui ordinis cœnobia mereri videatur.

In diœceſi Leodienſi varia ſunt Virginum cœnobia, quæ Abbatis Alnenſis, curæ ſubſunt: inter alia eſt *Orientis* Abbatia, quæ olim Abbatis Villarienſis regimen agnouit. Cuius quidem curam primus à ſe reiecit Dionyſius Zeuerdonchus, Abbas Vilarienſis XLIV. cum eius loci moniales, temporibus Caroli V. Imp. meliorem in ordinem redigere fruſtra tentaſſet.

Floret *Gaufredus* monachus Clarauallenſis, cuius exſtat epiſtola hiſtorica de rebus geſtis in Concilio Rhemenſi ab Eugenio Tertio, Papa in cauſſa Gilliberti Porretani, apud Baronium Tomo 12. Annalium, anno 1148.

Anno 1149. fundantur *Alba Petra* in diœceſi Bituricenſi, & *Longum Vadum* in d. Lingonenſi.

Henricus frater Ludouici VII. Regis Galliæ, fit monachus Ord. Ciſtertiēſis, opera S. Bernardi. Idem factus eſt poſtea Epiſc. Bellonacenſis: *Baronius.*

Anno 1150. Bartholomeus Laudunenſis Epiſcopus, fit monachus Fuſinaci. Ita Robertus Sigeberti Continuator.

Circa hunc anum *Zedlicium*, Abbatia octano miliari à Praga Bohemiæ metropoli ſita fun-

fundatur, monachis VValdſaſſo euocatis: teſte Bruſchio.

Hugo, monachus Ciſtertienſis, ex Abbate S. Anaſtaſij ad tres Fontes, creatur Card. & Epiſcopus Oſtienſis ab Eugenio III. Papa. Hugonis frequens eſt mentio in epiſtolis S. Bernardi.

Sunt item creati Cardinales Henricus & Rolandus, ordinis item Ciſtertienſis monachi: teſte Alfonſo Ciaconio in vitis Pontificum & Cardinalium.

Anno 1151. Paganus Chourcius Eques, & Dominus de *Clinchamp*, ædificauit & dotauit monaſteriũ, *Tironellum*, in diœceſi Cenomanenſi: teſte Choppino, Politiæ Sacræ libro tertio, titulo 1. Gallicè dicitur *Tyromeau*. *Tironellum.*

Rainaldus IV Abbas Ciſtertij moritur: teſte Roberto Sigeberti Continuatore. *Raynald. 4. Abbas Ciſtertij.*

Anno eodem obijt Hugo primum Abbas Pontiniaci, poſtea Epiſcopus Altiſiodorenſis: cui in epiſcopatu ſucceſsit Alanus patriâ Flander, primus Ripatorij Abbas. Huius Alani ſepulcrale monumentum hodieque viſitur in baſilica Clara-Vallis: vbi perperam in tabula tumulo appenſa legitur obijſſe an. milleſimo centeſimo octogeſimo primo. Nam in Ripatorio cœnobio, duabus leucis ab vrbe Trecenſi diſtante etiamnũ adſeruatur teſtamẽtum Alani, an. 1182. ſcriptũ: vt tra-

vt tradit Camuzæus in Notis ad Chronicon Roberti Altiſiodorenſis. Scripſit Alanus præfationem in vitam S.Bernardi.

Laudenſis Abbat. in Flandria.

Laudenſem Abbatiam, vulgò *Lo* nuncupatam, primo lapide ab Inſulis Flandriæ emporio, Chriſti anno 1152. conditam ſcribit Meyerus in Annalibus Flandriæ: ſed quo auctore, nõ addit. Sunt qui eam gloriam *Theoderico Alſatio*, Flandriæ Comiti, alij verò cuidam *Guilielmo* Lodenſi ſeu Laudenſi tribuũt. In loci Archiuis cœnobium iſtud proprio nomine, *Laus B.Virginis*, nuncupatur.

Noſtre Dame de Grace.

Eſt huic cœnobio vicinum Deiparæ Virginis ſacellum, quod annis ſuperioribꝰ multorum miraculorum gloria eſt illuſtratum, hodieque aſsiduo piorum hominum concurſu frequentatur. Sacellum vulgò nuncupant, *Noſtra Domina gratiarum*.

PRIVILEGIA CISTERCIENSIBVS à Romanis Pontificibus conceſſa.

SVmmo Ordinis Ciſtercienſis Præſuli ſubmiſsè parendum, notat S.Bernardus epiſt. 6. ad Arnoldum Abbatem Morimundenſem. Ac monaſticus quidem hic Ordo, multorum præconijs celebratus eſt, ideoque priuilegiarijs muneribus Apoſtolici ſolij vberrimè cumulatus. Nam præter ea quæ huius honori familiæ tribuit Petrus Bleſenſis, epiſt. 4. ad quendam Ciſtercienſis con-

conuentus Præfectum, Cluniacenſes etiam, ſacra largitate, Ciſtertij initia progreſſuſque illuſtres adiuuerunt. *Dedi*, inquit Petrus Cluniacenſis, *Ciſtertienſibus fratribus, quibuſdam in locis decimas. Sed tanta iam eſt per Dei gratiam ipſorum, & aliorum religioſorum vbiqúe terrarum in circuitu noſtro numeroſitas, vt ſi omnes decimas indulſerimus, iam decimam ferè numeri noſtri partem perdamus.* lib. 3. epiſt. 33. ad Innocentium II. Chriſtianæ Eccleſiæ anteſignanum. vnde & Ciſtertienſis pietatis merito dicatum eſt iam olim metricum elogium iſtud:

Vt ſidus nitidum, veſter præfulgidus Ordo
Iam penitus toto clarus in orbe micat.
Sanctus, & exempt⁹, primaq; ab origine liber:
Nullus in hunc quidquam iuris habere ſolet.

Nouum enim Ciſtertienſe ſodalitium amplexatus fuit vltrò *Paſchalis II.* Pontifex decimoquarto Kalend. Maias, an. 1100. hoc codicillari clauſula: *Paſchalis II. venerabili filio Alberico noui monaſterij Abbati, quod in Cabilonenſi parochia ſitum eſt, eiuſqúe ſucceſſoribus, &c. Quod locus Ciſtertij ab omni mortalium moleſtia tutus, & liber maneat, & controuerſiæ pacificatio inter Ciſtertienſes & Moliſmenſes.* Interiectis deindè aliquot annis, *Calixtus II.* Papa, ſanxit primæuas Ciſtertienſis Abbatis, cœtuſque ſui monaſtici conſtitutiones, vulgò tùm dictam, *Chartam caritatis, conſuetudines & ſta-*

Paſchalis II.

Calixtus II.

& ſtatuta Ordinis, Bullato diplomate, 10. Ianuar. an. 1119. Poſtmodùm *Eugenius III*. Papa, qui Ciſtercienſis familiæ adſcriptus fuerat, cuncta eius inſtituta, legeſque monaſticas comprobauit. Kalend. Sextilibus, an. 1152. Queîs *Anaſtaſius IV*. ſucceſſor, velut cumulo, adiecit v. Idus Decemb. an. 1153. *vt propter communia interdicta terrarum, nulla Eccleſiarum Ciſtercienſium à diuinis compellatur obſequiis abſtinere. Interdicimus item, ne aliqua omninò perſona fratres ordinis veſtri audeat ad ſecularia iudicia prouocare, ſed ſub Eccleſiaſtici iudicis examine experiũdi habeat facultatẽ.* Secũdùm, quę *Alexander III*. Papa collato ſymbolo, addidit hoc Ciſtercienſium priuilegijs: *Electus, ne vlli Archiepiſcoporum, vel Epiſcoporum emancipatus, vel quaſi abſolutus tradatur: ſed nec poſt factam Archiepiſcopo, vel Epiſcopo ſuo profeſſionem, occaſione eius, ordinis ſui conſtitutiones tranſgrediatur. Item quòd quilibet Abbas ordinis poteſt abſoluere fratres ſui monaſterij, & eos, qui ad Ordinẽ accedunt, à vinculo excõmunicationis per appoſitionẽ ignis, pro violenta manuum iniectione in clericum, vel aliã religioſam perſonam, & pro cõmunicatione cum excõmunicatis, mediante pœnitentiâ ſalutari.* Rurſus vt peculiare Ciſtertij ius aliud calleamus, præmittẽdum, nemini fas eſſe, monaſticã præfecturã, Abbati, indicta cauſa, abrogare, vel auctore quidẽ ſuperiori Antiſtite. Quemadmodũ in

Eugen. 3.

Anaſtaſius 4.

Alexan. 3.

Cor-

Corbienſes Ambianorum monachos decretũ fuit, Rhemenſi in ſynodo peracta, an. 892. Quam refert Flodoardus in ſacra Rhemorũ hiſtoria, lib. 4. ca. 7. vice etiam verſa maioribus diœceſum Præfectis interdictũ eſt, monaſticos Pręſules, inconſulto eorũ conuentu, ſacro munere abdicare: niſi & alijs ſimul in conſiliũ adhibitis, Epiſcopalis territorij, cœnobiarchis. vt Turonica II. Synodo definitũ voluitur, ac denuò ſtatutũ ab Alexandro 3. Papa in Lateranenſi Eccleſiæ Concilio, parte vlt. ad Patriarcham Hieroſolymorum.

Idem certè Alexander Ciſtertienſi ſodalitio, hanc addidit prærogatiuã: *Quod Abbatibus deponendis, ſi commoniti, ſuæ prælationi ſponte cedere noluerint, non liceat ad Sedem Apoſtolicã appellare, aut reatum defendere*: ſolenni Inſtrumento IV. Nonas Quintiles, an. 1169. Quo pariter inſtrumento, *Licet Abbatibus nouitios ſuos benedicere, & alia quæ ad illud officiũ pertinent, exercere: etiamſi ab Epiſcopis benedictione petita, & negata, benedicti non ſint. Quod ſi Epiſcopi aliquid ab Abbatibus contra priuilegia Ordinis petierint, licet eis auctoritate Apoſtolica denegare*. Nil planè diuerſum, de ſacra ipſius benedictione Abbatis, ſanxit Alexander ille, decretali epiſtola ad Ciſtertienſes, cap. I. de ſupplen. neglig. Prælat. cap. meminimus de accuſat.

Lucius III. ſummus Chriſtianorũ Præſul, *Lucius 3.* Ciſter-

Ciſtertienſibus indulſit XI. Kalen. Decemb. an. 1183. *quòd Epiſcopi in benedictionibus Abbatum ſint contenti profeſſione, quæ noſcitur inſtituta ab initio ordinis: ſcilicet quòd Abbates tunc debent dicere (ſaluo ordine ſuo, & priuilegijs Ordinis) nec compellatur aliam tunc facere profeſſionem contra Ordinis inſtituta.*

Lucius 3. Pontificias ſanè illas Lucij III. litteras non modò ſtabilijt eius ſucceſſor Vrbanus III. ſed infrà ſcriptis ſimul adauxit an. 1186. *Quòd ſede Epiſcopali vacante, omnia illa Ciſtertienſes à vicinis Epiſcopis ſuſcipere poſſint, item ab Epiſcopis tranſeuntibus per monaſteria, monachorum ordinationes, vaſorum & veſtium benedictionem recipere valeant. Quod nulli liceat, perſonas ordinis, etiam pro monaſteriorum poſſeſſionibus, ad iudicia ſæcularia trahere, nec ad concilia, ſynodos, ſeu ad loca ordinis, cauſa ordines celebrandi, chriſma faciendi, cauſas tractandi, vel congregationem conuocandi, accedere. Quod nullus, infrà miliare ab Abbatijs vel grangijs ordinis ædificia noua faciat. Quod in cauſis Ciſtertienſium, ſiue ciuilibus, ſiue criminalibus, liceat eis fratrum Minorum teſtimonijs vti &c.*

Gregorius 9. Indè ſenſim *Gregorius IX.* Papa ſtatuit, Ciſtertienſes, Romano ex diplomate in ius minimè vocari, niſi illo ipſo nominatim, ordinis eiuſce cõmemoratio facta oſtenderetur, authenticis tabulis 3. Idus Ianua. anno 1227. mirè conſentaneis *Alexandri III.* Epi-

ſtolæ

ſtolæ decretali, Cùm ordinem Ciſtertienſem de reſcript. Gregoriana rurſus charta alia ſancitum fuit, monaſticorum ſuffragiorum libertatem in cooptando aliquo eius ordinis cœnobiarcha, minimè præpediri à diœceſano Antiſtite, vel alio quoquam.

Prædictis autem Romanorum Pontificum beneficijs, ſubiecit hoc *Vrbanus IV*. Papa, ne delegati à ſancta Sede Internuntij, mandatiuè Apoſtolici exſecutores, valeant anathematis ſpiculum diſtringere in Ciſtertienſes, aut exquiſito procurationis titulo ab ijs pecunias exigere, codicillis pridiè Nonas Maias, anno 1260. datis. Is quoque Pontifex Ciſtertienſibus fœminis, virorum priuilegia communicauit, æquatâ omnium ſorte, Idib. Maijs: eodem anno. Quibus Ciſtertij priuilegijs iudices dati ſunt peculiares, cœnobiarcha beati Stephani, Diuionenſis, alijque Eccleſiarum Præfecti nonnulli, à Bonifacio VIII. Antiſtite Maximo: ita vt cœnobitarum eiuſmodi ſacris litibus, poſthabita quâuis prouocatione, iudicium interponerent, bullatis litteris Sexto Id. Ianuar. anno 1238. expeditis. *Vrban. 4.*

Nicolaus IV. decreuit liberum fore Abbati Ciſtertienſi, & quatuor primis Abbatibus arbitrium poteſtatemque in res ac negotia inferiorum primatuū monaſticorum, ac ſingulis adeò, in eorum geſtionem nego- *Nicolaus 4.*

Digitized by Google

tiorum, procuratores ſtatuendi, codicillis, kalend. Mart. anno 1289.

Clemẽs 5. Inſuper *Clemens V.* priuilegium Lucij III. Papę comprobauit, ne quiſquã Ciſtertienſis ſodalitij Magiſtros, fratres, domoſve ſacro anathemate vel interdicto ferire auderet.

Ioan. 22. Vetuit dehinc *Ioannes XXII.* Papa reſcripto 8. kalend. Decemb. an. 1318. huiuſmodi cœnobijs præfectos à Romano Pótifice obſequium detrectare Ciſtertienſis Abbatis, & œcumenici conuentus ordinis.

Benedict. 12. Quibus conſequenter, *Benedictus XII.* ſucceſſor edixit, è ſacro mendicantium ordine tranſitum non patere ad Ciſtertienſem familiam, abſque venia & indulgentia Celſiſſimæ Sedis, quæ huic conſtitutioni ſpeciatim derogaret, litteris ſolemnibus, 4. Non. Quintiles, an. 1335.

Nicol. 5. Nec longa pòſt temporum ſerie, *Nicolaus V.* Papa renouauit Ioannes XXIII. Papæ decretum apud Conſtantiam, 7. kalen. Febr. anno 1414. ita Ciſtertienſibus fauorabile, *Quòd nullus qui de dicto ordine non exſiſtat, cuiuſcunque alterius religionis, aut praeminentia, etiam Cardinalatus, Apoſtolica, vel alia auctoritate poßit habere, nec impetrare quamcunque praſidentiam, gubernationem, adminiſtrationem, aut praeminentiam per ſe vel alios, in ordine Ciſtertienſi, aut membris eius,* III. Non. Octobr. 1454.

Sen-

Senſim inde *Pius II.* Papa ſanxit, Ciſtertij Archimandritę,& quatuor gradu proximis, ius eſſe, inferiores cœnobiorum Præſules,& Officiales ad publica ordinis comitia accire, ſinguloſq; ad debiti æris annui collationem, ac iuuenum monachorũ in Academias miſſionem vrgere ac compellere, tabulis, 7. Id. Sextiles, anno 1459. datis. Quibus præterea, reuocato in vſum Calixti III. priuilegio, irrita pronunciantur Pontificia cuncta beneficiariæ exſpectationis munera, commendationis, reſeruationis, aut nominationis cuiuſlibet ad ſacerdotia Ciſtertienſium, vnionis &c. *etiam ſi per reſignationem, & iuris ceßionem, aut aliàs, etiam Cardinalibus, ſeu Officialibus curia conceſſa ſint.* *Pius 2.*

Iuxtà hæc *Sixtus IV.* Papa, qui ſeculari- *Sixtus 4.* bus talium cœnobiorum fiducijs minimè fauebat, binam legem promulgauit, regularis diſciplinæ ordinis tutricem ac patronam, 4. Idus Mart. an. 1475. *Quod monaſteria commendata & cõmendanda, poſt mortem cõmendatariorum, plenè, liberè, & integraliter redeant ad omnimodã ordinis diſpoſitionẽ & prouiſionẽ: & quod nulli præficiãtur in Abbates, niſi p patres Abbates, ſeu per Cõmiſſarios & conuentus, iuxta antiquũ ordinis modũ: & q promoti ſint de ordine. Item penſiones extinguantur per mortẽ eorũ, qui eas leuarint, nec in alios transferantur. Commendatarij nullã habeant iuriſdictionẽ ſeu exſecutionẽ*

in dictis monaſterijs, quæ tota ad patrem Abbatem reducatur. Ita quòd commendatarijs nec monachorum numeri taxatio competat, nec nouitiorum, receptio, nec benedictio in monaſterijs: ſed eius rei cura penes Abbates, alioſque Ordinis ſuperiores remaneat. Caſſentur inſuper gratiæ exſpectatiuæ, reſeruationes, mandata, commendæ, nominationes, collationes, vniones, &c.

Hucuſque de ſacra Ciſtertienſium politia: ciuilis autem & profana monaſticæ rei prædiariæ curatio, æquè fautores nacta eſt, & adiutores Romanos Pontifices. Decimarum maximè immunitatem *Honorius III.* Papa irrogauit Ciſtertienſi familiæ, ex prædijs ante Concilium Lateranenſe partis, quæ illa ſuo impendio annuè inararent, præclaro reſcripto VI. kalend. Decembr. anno 1224.

Innocent. 4. Deinceps *Innocentius IV.* eidem indulſit, vt noualia in fundis, pro qua portione veteres decimas, perciperent; Lugdunenſi in concilio Eccleſiæ vniuerſæ, 3. Nonas Maias anno 1248.

Vrbanus 4. Porrò *Vrbanus IV.* Papa omnium omninò decimarum præſtatione liberos vacuoſque iuſsit eſſe Ciſtertienſes, Quinto Id. Maias anno 1260. Poſthæc Gregorius X. extraordinarijs & indictinis decimis illos exemit, numerariaque alia quâuis exactione.

In Lugdunenſi Concilio Non. Aprilibus an.

an. 1275. Ac ſigillatim vtique, *Eugenius III.* Papa monaſticas ſtabilijt *B. Mariæ de Perſenia* poſſeſsiones, anno 1150. ſubiecta hac litteris clauſula: *Sanè agrorum veſtrorum, quos proprijs manibus aut ſumptibus colitis, ſiue de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere præſumat.* Generatim verò Decumani muneris vocationem, quæ ordini data ſit antiquitus, produxére *Martinus V.* & *Xiſtus IV.* viciſsim ad latifundia, etiam poſt Lateranam ſynodum comparata, bullato illius reſcripto 9. kalend. Octob. an. 1423. Huius autem 6. kalend. Octob. an. 1482. Denique poſtremi Romanæ Sedis Antiſtites nouo diplomate fulcierunt antiqua illa maiorum ſuorum in Ciſtertienſes beneficia, *Gregorius XIII.* pridie Idus Iunias, an. 1574. ac *Xiſtus V.* decimoſexto kalend. Iunij, & ſeptimo Idus Iunias, anno 1586. Inter quos Gregorius quoque, ſecundum Pij IV. & V. codicillos, ſic interdixit *Commēdatarijs, eorumque miniſtris, cæteriſque perſonis ſecularibus, quouis titulo ipſius ordinis monaſteriorum fructus prouentuſque percipientibus, ne templa & alia loca regularia, & ad monachorū vſum deſtinata Abbatiarum huiuſmodi & monaſteriorum quomodolibet occuparent aut profanarēt, enuè in illis mulieres cuiuſcunque conditionis introducerent, nec ſeſe in bonis per monachos pro tempore decedentes relictis, illorumve ſpolijs quomodolibet intromit-*

Martin. 5.
Xiſtus 4.
Gregor. 13
Xiſtus 5.

mitteret, aut bona ipſa ſibi appropiarent. Sic ferè Renatus Choppin. Monaſticorū lib. 2. tit. 1.

Cæterùm ordinis Ciſtercienſis Priuilegia exſtant ſeorſim typis edita, in quibus iſta licet fuſiùs legere.

Grata, immò neceſſaria fuit Ciſtercienſibus initio Ordinis, ob ſummam paupertatem à decimis ſoluendis conceſſa immunitas. Cùm verò poſteà auctis iam diuitijs iſti priuilegio nihilominus inſiſterent, vnde querelæ aliorum Eccleſiaſticorum oriebantur, à Petro Bleſenſi: Archidiacono eam ob cauſam redarguti ſunt. Nam is, ſcripta ad eos prolixa & graui epiſtola, monuit, vt huic & aliis quibuſdam priuilegijs cederent, quæ cum ſcandalo & iniuria aliorum coniuncta eſſent, comminatus excommunicationem, non quidem à ſe inferendam, vtpotè qui non eſſet eius poteſtatis: ſed tamen procurandam in omnes, qui ipſis aliquid emerent aut venderent. Quid effecerit, mihi ignotum eſt, cæterùm Ciſtercienſes, non obſtantibus huiuſmodi priuilegijs, non eſſe immunes vbique locorum, & neſcio an vllibi, à ſoluendis decimis & exactionibus nulli dubium eſt, & ipſi ſatis ſuperque experiuntur. Et ſanè æquum eſt graſſante incendio, omnes concurrere ad ferendam aquam, & melius eſt, vt pereant aliqui quàm omnes.

Petrus Bleſenſis epiſt. ad Ciſtertiēſ.

Quò

Quò vſque verò ſe extendat Exemptio monachorum Ordin. Ciſtertienſis, idem Choppinus lib.2.de Politia ſacra titul.7.declarant: Varij, *inquit*, ſunt monachorum cœtus,in quos vt nihil decernunt pro imperio Epiſcopi, ſic Magiſtri ordinis cenſorium munus obeunt, non ſolum priuatis ac domeſticis ſacrarum familiarum inſtitutis, verùm & principalibus & Reſcriptis, Senatuſque Conſultis monaſticam vitā comprobantibus.Nam Ciſtertienſi cœnobitarū ordini indultum eſt à Pio II. Sixto IV. & Innocentio VIII. Romanis Pontif. vt eius patres præfectique ordinis inuiſerent inſpicerentque ſingulos cœtus monaſticos, tùm viriles,tùm muliebres. Nempè Ciſtertij Abbas,princeps ordinis,vel eo abſente, alij cœnobiarchæ, quibus eam ille prouinciā delegarit.Præcipuæ autem viſitantis partes ſunt, antiqua regularis vitæ præcepta inter ſuos inſtaurare, ſuum monachis victum veſtitumque preſcribere, ac ſingulis conuentibus moderatum imponere æs annuum, quod in maiorum ordinis comitiorum ſumptus impendatur, in ſtipendia præceptorum monaſticæ pubis, ac forenſes controuerſias de prædiarijs profaniſque rebus cœnobiorum. Talia verò Pontificum priuilegia Galliæ Rex diſtrictè cuſtodiri iuſsit,binis codicillis IV. Kalendas Sextileis, Anno 1542.

 & po-

& poſtridie kalend. Auguſt. 1556. quos Lutetiana curia promulgauit, audito, conſentiente & requirente Procuratore generali Regis, 13. kalend. Nouemb. eodem anno. Hactenus Choppinus.

IMPERATORVM, REGVM, ALIOrumque Principum in Ciſtertienſes beneficia.

AGgrediamur nunc Cæſarea Regiaque cœnobitarum Ciſtertienſium priuilegia. *Fridericus* II. Cæſar, qui Romana ſceptra tenebat, anno 1240. profeſſus fuit in celeberrima Ciſtertiẽſium Abbatum frequentia, ordinis patronum ſe, aſſertorem ac vindicem: eiuſque ſodalitio adſcribi poſtulauit.

Frideric. 2. Imp.

Gallis verò Regibus *Philippus Pulcher* inſigni beneficẽtia proſecutus eſt Ciſtertiẽſem familiam, authentico inſtrumento Quintili menſe anno 1304. dato. Eandem poſthæc familiam Ioannes II. exemit forẽſi ciuilium magiſtratuum imperio, præterquam Barcenſis ad Albam flumen Iuridici, velut monaſticorum Iurium ſeruatoris, iudiciſq; tutelaris, Reſcripto ad libellum Clarauallenſis Abbatis, Ianuar. menſe, anno 1361. Neque officium hac in parte deſeruerunt, *Ludouicus* IX. & *Carolus* filius, ſeriatim Regis: vtpotè qui Ciſtertienſes monachos tributorum immuni-

Philippus Pulcher Rex Frãciæ.

Ludou. 9. Carol. 8.

Digitized by Google

munitate pleniſsima cohoneſtarint: ille ſeptimo Idus Ianuarij anno 1461. Hic poſtridiè Nonas Martias, anno 1483. Quinimò in ipſis etiam Ciſtertij cunabulis, Gallum Principem ordini fauiſſe plurimum, arguit vetus charta *Bela* Pannonum Regis, anno 1183. de libertate illi donata ordini apud Hungaros ſuos, quanta iam apud Gallos ipſe, regio conceſſu, vteretur. Nam & paulò anteà, *Hugo* Burgundiæ Dux, Ciſtertium cùm appuliſſet, in publico conuentu, irrogauit eis priuilegium, *Quòd monachi securè pergant per terram ſuam, ducantq́ & vendant res proprias abſque pedagio, minagio, venta, & omni alia coſtuma, anno 1170.* Hos quoque mercium portorio & vectigalibus leuarunt omninò *Philippus* Flandriæ ac Veromanduorum, *Gerardus*, Matiſconis, Comites, an. 1173. Comes Lugdunenſis, *Guigo*, Foreſiorum, an. 1225. *Godefridus Barralis* Maſsiliæ Procomes & *Rainaldus* Tranſiuranæ Burgundiæ Regulus. Quorum beneficæ, in Ciſtertienſes, litteræ ſingulorum, inſcribuntur ad verbum domeſtico tabulario cœnobij maioris. Exſtant munificentiæ paris exempla, Danorum Regis & Illyrici ſeu Sclauorum in Ciſtertienſes hoſce ſacerdotes, codicillis poſtridiè kalen. Mart. an. 1229. datis.

Bela Rex Hũgariæ.

Hugo Dux Burgundiæ.

Philippus Flandriæ Comes, & alij.

Quod ſi penitius ſacra hæc ſodalitia introſpicere lubuerit, en tibi *Caroli loci* monaſterium,

Caroli locus.

ſterium, Siluanecten. diœceſeos, à Regibus conditum: quod Princeps noſter Carolus V. auguſtiore diadematis tutela præſidioq; tectum voluit, priuilegij ſeruatrice data, Senatoria claſſe, quæ Palatinis libellis ſupplicib⁹ Lutetiæ præeſt, diplomate Mart. menſ. anno 1378. Cui & Reges nepotes ſanctionē ſuā adhibuêre, Carolus Septimus, 3. Non. Octo. an. 1441. Ludouicus XI. Septem. menſ. an. 1461. Carolus 8. Quintili, 1484. Ludouicus 12. Septembri, 1498. & Franciſcus 1. Aprili, 1515.

Liliū in d. Melodunenſi, vulgò, *Noſtre Dame la Royal, dict du Lis.*

Rurſus *Lilio* ad Melodunum cœnobio, Ciſtertienſi, impertijt Philippus Longus, Francorum Rex immunitatem Fiſcalium indictionum vberrimam, ſelectoſq; iudices dedit, qui ſacra monialium iura apprimè tutarentur, Epiſtola aperta Februario, menſ. an. 1319. in hac phraſin: *Notum facimus, &c. quod cùm cariſſima mater inclytæ recordationis B. Ludouici prædeceſſoris noſtri,* Blāca, *Dei gratia Frācorū quondā Regina illuſtris, Abbatiam* B. Mariæ regalis, *Ciſtertienſ. Ord. propè Melodunum, pro remedio animæ ſuæ & animabus progenitorū noſtrorū & ſuorū conſtruxerit, volumus & præcipimus, ꝙ delectæ noſtræ ſorores præd. Abbatiæ, & oēs res, & ſeruiētes ipſarū, ſint quieti ab omni exactione & cōſuetudine ſeculari, & liberū trāſitum ꝑ terrā & aquā habeant in omni loco poteſtatis noſtræ: ita vt de reb⁹ proprijs ipſarū, quas emerint vel vēdiderint, aut deportari fecerint ad vſus ſuos*

præ-

proprios, vel ad vſus ædificiorum ſuorum, pontagium, pedagium, teloneum, paſſagiũ, roagium, & mediationem vini, vel aliquas alias conſuetudines, aut ſeculares exactiones nulli omninò reddere teneantur. Item prohibemus ne quis eas, aut homines earũ in aliquo vexet vel diſturbet: quietam ipſas quàm quæ earum ſunt, ſicut res noſtras proprias; in manu, protectione, & cuſtodia noſtra retinemus, &c. Prohibemus etiam d. religioſis ex certa ſcientia & de gratia ſpeciali concedimus, ne de aliquibus bonis ſuis quibuſcunq́ ponantur in placitum: niſi coram nobis, aut certis Commiſſarijs à nobis ſuper hoc ſpecialiter deputandis. Concedentes inſuper ex gratia ſpeciali, vt huiuſmodi libertates, cuſtodia, & franchiſia, tam ad caput quam ad membra, nec non res & perſonas ipſius Abbatiæ vniuerſaliter extẽdantur, &c. Quale immunitatis reſcriptũ, mandatæq; iuriſdictionis ſenatoriæ, cõprobauit Valeſius Rex, quum eo in cœnobio diuerſaretur, poſtridie kalen. Ianuar. anno 1348.

Clarauallenſes itẽ monachi, ſua priuilegia accepta ferunt, poſt Campanos Comites, *Ioannis II.* Galliarũ Regi, exin *Carolo V.* paternas litteras cõfirmante, Iun. menſe an. 1366. & Maio 1376. Sigillatim vtique *Ludouicus XI.* perpetuo remiſit cœnobitis ſalariæ mercis portorium: q̃ ijs gratuitam mercẽ annonariã adſignarat è ſalinis ſuis *Carolus* Lotharingiæ Dux, in Francicum Clarauallis cœnobium quo-

Ioan. II.

Carolus 5.

Ludouic. XI.

quotannis tranſuehendam, tertio Idus Sextiles, anno 1424. Regula chartula Martio menſe, an. 1481. ſummæ vectigalium curiæ probata Nono kalend. Auguſti, an. 1482. Cui
Carol. 8. denuò *Carolus VIII.* auctoritatem ſuam accommodauit poſtridie Nonas Mart. anno
Henric. 4 1484. & Henricus IV. Ianu. menſ. an. 1599.

Præterea *Carolus* ille *octauus* profanarum monaſterij litium notionem delegauit Senatoriæ Pariſiorum decuriæ, quæ palatinis libellis decidendis præficitur, codicillis Quintili menſe anno 1484. datis. *Ludouicus* autem
Ludouic. 12. *duodecimus* omnia huius cœnobij iura ſingularia ſanxit Iulio menſe, anno 1498. Et *Franciſcus I.* Decemb. menſe 1518. ſolennibus ta-
Franciſ. 1. bulis in Senatu promulgatis 13. kalen. Mart. anno 1535. Primitus verò *Campania, Briaq; Comites* ſplendidis ornarunt muneribus caſam illam Claraualléſem, verbi gratia, *Theobaldus* Comes regulari huic conuentui piè erogata à matre firmauit, neque his contentus, adiecit infrà ſcripta, Aprili menſe, anno 1231. *Sciendum eſt etiam, quod ego concedo in perpetuum iam dictis fratribus Claraualli, quidquid ipſi de feodo anteceſſorum meorum & de feodis meis, & quidquid ab hominibus meis, cuiuſcunque conditionis ſint, & quidquid in toto Comitatu Campaniæ & Briæ qualitercumqúe acquiſierint, &c. Et hæc omnia ſub mea & ſucceſſorum cuſtodia, protectione, & defenſione ſuſ-*

ne ſuſcipio: ita quod, nec ego, nec ſucceſſores mei poterimus dictam cuſtodiam, protectionem & defenſionem aliquo modo alicui concedere, vendere, nec alienare: ſed quicunque tenebit de cætero pro tempore dominium, & Comitatum ciuitatis Trecenſis, volo firmiter & ſtatuo, quod habeat & teneat immediatè ſine aliqua dimunitione cuſtodiam, protectionem, & defenſionem omnium prædictorum. Itaqúe ad maiorem ſecuritatem D.D fratrum, me & ſucceſſores meos ipſis fratribus obligo in perpetuum, vt non poßimus aliquomodo aliquãdo alienare Baaum ſuper Albam, nec formitatem ſuper Albam, nec etiam Villam de ſubtus formitatem, &c.

De hac ipſa *Clara* Campaniæ *Valle* monaſtica, referam ipſius Archimandritæ elogiũ, qui Chriſtiano etiam orbe clariſsimam reddidit. Nam D.Bernardus cœnobiarcha, ad Alexandrum Lincolienſem Pontificem epiſtola 64. *Clarauallis*, ait, *ipſa eſt Hieruſalem, ei quæ in cœlis eſt, tota mentis deuotione, & conuerſationis imitatione, & cognatione quadam ſpiritus ſociata.*

In Narbonenſi pariter Gallia, Ciſterienſes ſuo patrocinio fulcijt *Raimundus* Toloſatium Regulus, edita in nouatores religionis Albigenſes conſtitutione 12. kalend. Mart. anno 1233. ex antiquis membranis ſic decerpta: *Statuimus vt nullus ſit tanta temeritatis, quod domos religioſas & præcipuè Ciſtertienſis Ordinis,*

ordinis, offendat in aliquo, in rebus vel perſonis, palàm vel occultè. Etſi quis contra hoc fecerit, bona eius occupentur, de quibus, paſſis damna plenariè ſatisfiat, & perſona ipſius debita animaduerſione puniatur. Item ſtatuimus, ne Barones, milites, & alij homines noſtri, Abbatias, grangias, & alias domos religioſas nimia importunitate, albergandi opprimere præſumant. Et ſi quis contra voluntatem cuſtodum noſtrorum, quos in ſingulis domibus ad requiſitionem ipſarum ponemus ibi continuè moraturos, qui iurati nobis ſuo miniſterio auctoritate noſtra huiuſmodi albergatores reprimunt importunos, reipſa domos prædictas albergauerit, ſi eques, in 5. ſolidis Toloſanis, ſi pedes in 2. ſolid. puniatur. Sic ferè Choppinus libro ſecundo Monaſticorum, titulo ſecundo.

Anno 1152. florebat Chriſtianus Liſmorienſis in Hibernia Epiſcopus, & Legatus Apoſtolicus, in ijſdem clauſtris cum S. Bernardo & Eugenio III. Papa, apud Claram-vallem educatus.

Populetũ in Aragonia. Populetum, Abbatia diœceſ. Turiaſonenſis in Aragonia, anno 1153. fundatur per Raimundum Berengarium Regem Aragoniꝫ, & Comitem Barcinonenſem. Sunt in ea Reges aliquot Aragoniæ ſepulti.

S. Bernardus moritur. *S. Bernardus* primus Abbas Clara-vallis, eximium ordinis Ciſtercienſis decus, & centum ſexaginta amplius monaſteriorũ pater ac fun-

ac fundator, in Domino obdormiuit, in Clara-Valle ſepultus, & in Diuos ab Alexandro III. anno 1165. relatus.

Habetur autem velut alter auctor ac fundator ſui ordinis, adeò quidem vt Ciſtertienſes à multis nationibus, vulgò *Bernardini* nuncupentur. Librum primum de vita eius ſcripſit *Guilielmus* Abbas Bonæ-Vallis, vt ait Baronius, qui exſtat apud Surium. Alij dicunt ipſum primò fuiſſe Abbatē S. Theodorici, nigrorum monachorum, ordinis ſancti Benedicti, & poſtea monachum Claravallenſem.

Eiuſdem S. Bernardi vitam fusè perſecutus eſt *Gaufridus* Abbas IV. Clarauallenſis.

In Sacro Portu hanc procul à Meloduno, Galliæ vrbe, audio exſtare libros tres manuſcriptos de miraculis S. Bernardi in Germania factis.

S. Bernardo defuncto in præfectura Abbatiæ Claraualllenſis ſucceſsit *Robertus* Abbas Dunenſis in Flandria, patriâ Brugenſis: de quo vide ſuprà an. 1137. Roberto in Dunenſi monaſterio ſucceſsit Albero, ab ipſo Roberto tranſmiſſus. vide Auctarium à nobis editum ad Sigeberti Chronicon. *Robertus II. Abbas Claraual-lenſis.*

Cæterùm temporibus Sancti Bernardi ducenta plus minùs monaſteria Ciſtertienſis ordinis numerabantur. Arnoldus Vionus

in Li-

Decem millia monaſteriorum ord. Ciſtertiēſ.

in Ligno vitæ lib. 1. cap. 97. tradit poſterioribus ſæculis numerata virorum monaſteria quatuor miliia, & monialium ſex amplius millia.

Hoc ipſo anno 1153. fundata eſt Abbatia *Montis Tauri* vel *Ramorum*, in Hiſpania, & de *Eſron* in Dacia ſiue Dania.

Bernardus monachus Clarauallenſis, & SS. Coſmæ & Daminiani diaconus Cardinalis floret, à Ioanne Sarisberienſi in Policratico lib. 15. eximiè laudatus.

Robertus II. Abbas Clara-Vallis, patriâ Brugenſis, moritur. Succedit Faſtradus Abbas Camberonenſis, in Hannonia. vide ſuprà anno 1137.

ORDO EQVITVM CALATRAVAE Ord. Ciſtertienſis, in regno Caſtellæ.

CALATRAVA opidum loco munito in Oretanis ad Anam fluuium ſitum, quo tempore ereptũ eſt Mauris, Templarijs militibus, quorum magna erat opinio virtutis, muniendum cuſtodiendumque datum eſt: vt arcis inſtar eſſet ad barbarorum incurſus arcendos. Ii, quod Mauros victorijs elatos magno numero obſeſſum venire nunciaretur, defenſionis ſpe abiecta, opidum reddiderunt. Neque erat inter proceres, qui aut vltrò nomen profiteretur, aut

ea de

ea de re à *Sanctio* III. cognomine Deſiderato, Caſtellæ Rege appellatus, ſuo periculo opidum defendendum ſuſciperet. Duo *Ciſtertienſis* ordinis monachi, quos res aliæ in curiam euocarant, Toleti eo tẽpore moram trahebant, *Raimundus*, Fiterij ad Siſoricã Abbas (errant qui hanc laudem ad Fiterij cœnobium allegant, quod in Nauarra non procul Tutela ſitum eſt, cùm cõſtet conſequenti tempore fuiſſe exſtructum) atq; Raimundi ſocius, *Didacus Velaſcus*. Is vetus antea Alfonſi Imperatoris & Caſtellæ Regis miles, multiſque bellicis operibus clarus; rerum deindè humanarum contemptu monachum induerat; & vt magno erat animo, mouendo, ſuadendo, hortandoque cunctantem, effecit, vt opidi defendendi curam in ſe Abbas ſuſciperet. Conſilium ſpecie temerarium erat, re numinis inflatu conceptum, vt arbitror: nam contra tantas difficultates ratione ſatis prouideri non poterat. Ea res primum Regi gratiſsima fuit, deindè *Ioanni* Præſuli Toletani mœſtis antea, atque conſilij inopibus in tanta Reipub. difficultate. Ioannes etiam quoniam in eius ditione *Calatraua ſita* eſt, pecuniam de ſuo ſuppeditauit: & pro concione cùm nobiles, tùm populares permouit, vt ſe, Abbate ductore, diſcrimini offerrent; ne in tanto periculo rem Chriſtianam deſerere viderentur: quanto ſibi & rei

Rod. Toletanus lib. 7. cap. 14. & 27.

familiari minus parcerent, tanto tutiores ſore: amiſſo eo opido, quod inſtar propugnaculi eſſet, incendij flammam in ſingulorum fortunas inuaſuram. Atque hæc anno
1158. ineunte milleſimo centeſimo quinquageſimooctauo gerebantur. Quo tempore Rex, vt præmium labori eſſet, *Calatraua* principatum cum ſubiecto agro dono dedit Beatæ MARIAE, ordinis Ciſtertienſis patronæ, atque eius nomine *Raimundo* Abbati & ſocijs iure perpetuo. Magna famæ in vtramque partem momenta fiunt, plerumq; vero maioris. Itaque cùm eius apparatus rumor percrebuiſſet, Mauri ſpe deiecti, aut alijs rebus impediti, Calatrauam non venerunt. Id felix fauſtumque & benè ominatus initium eius militiæ fuit. Nam plerique milites Abbatem ſecuti veſtem mutarunt; quam ille inſignem adtribuit, eiuſque formæ, quæ armorum vſum non impediret. Moxque Toletum repetens, Regem & ciues ex rebus geſtis lætitia compleuit.

B. Raimundus Abbas Fiterij; au&tor ord. Calatrauæ.

Ex cœnobio autem, cui Præfectus erat, magnam pecoris vim adduxit, atque ex vicinis opidis hominum viginti millia: quibus agri diuiſi opidaque Calatrauæ vicina, quoniam incolis vacua erant, domicilio deſignata. Eâ diligentia Calatrauæ opidum contra omnem iniuriam egregiè eſt munitum. *Raimundo* Abbati poſt aliquot annos defuncto,

ad

ad opidum *Ciruelos*, vbi ſepultus etiam eſt; pro opera nauata honores à populo habiti, vſque eò vt miraculis fulſiſſe creditus ſit, & in cœleſtium numero reponatur. *Didacus Velaſcus*, in multos annos vitâ propagatâ, *Gumielæ* in Diui Petri cœnobio obijt, ibique ſepultus eſt. Ab his initijs ſacram Calatrauæ militiam, in hunc quem cernitis ſplendorem perductam, *Alexander* III. ſuo diplomate confirmauit, *Garſia* eius ordinis primo 1164.
Magiſtro, anno milleſimo centeſimo ſexageſimoquarto. Garſiæ ſucceſsit *Martinus Pereſius*, Martino *Nunnius Pereſius Quignonius*: his alij. Domicilium, quod *Calatrauæ* primò collocatum, *Ciruelos* deindè, *Buxedam* mox, *Corcolem* deinceps & *Saluaterram* migrauit; *Cuuos* ad extremum, *Nunnio Fernando* duodecimo eius militiæ Magiſtro. Sunt quidem minora plurima eius ordinis domicilia alijs locis conſtituta, illud præcipuum. Copiæ auctoritas, multorumque opidorum imperium, eximia Regum liberalitate, acceſsit. Quæ opida emeritæ olim eius ordinis militiæ hominibus commendabantur, vt ijs reditibus vitam honeſtè ſuſtentarent; neq; tamen poſteris hæreditaria relinquebant. Nunc rebus ab antiquo mutatis, aulicorũ delicijs, Regum ex libidine, non rarò mãcipantur. Ita ferè res humanæ à præclaro initio degenerare cõſueuerunt. Sic ferè

Mariana Rerum Hiſpan. lib. 11.cap. 6. Sed Onuphrius in Chronico ſuo ordinem hunc à Sanctio Rege an. 1121. vult inſtitutũ. Vtuntur autem Equites Calatrauæ in comitijs publicis veſte candida, quadrato *crucis rubræ* ſigno notata. Quod quidem illis CIↃ. CCC

Crux cru-bra, quat-tuor lilijs eſt inſig-nis.

1396. XCVI. præſcripſit Benedictus XIII. qui ſe pro Pontifice apud Hiſpanos tunc geſsit: vt idem Mariana lib.19.commemorat. Por-

1540. rò ſuperioris ſæculi anno quadrageſimo, Paulus III. Pont. Maxi. indulſit, vt vnicam quiſque vxorem poſsit ducere, ſecundis nuptijs excluſis.

Otho Friſingenſis Epiſcopus, filius Leopoldi Marchionis Auſtriæ, cui' exſtat Chronicon, moritur Morimundi.

S. Robertus Abbas Ordin. Ciſtertienſis in Anglia an.1159.in Domino obdormit: tabulis Rom. Martyrologij ad diem 7.Iunij adſcriptus. Exſtat vita eius apud Surium, auctore anonymo.

Anno 1160.florebat Arnoldus Carnotenſis, Abbas Bonæ Vallis, qui ſcripſit tractatus de laudibus B.Mariæ; item in ſeptem vltima Chriſti verba. Exſtat vterque tomo 7. Bibliothecæ Patrum, & tomo 1.vlt. editionis, & cum Commentarijs Fr. Titelmanni. Scripſit & vitam S.Bernardi. Henricus Gandauenſis vocat eum *Ernaldus*, lib. de Script. Eccleſ. cap.2.

Zedli-

Zedlicium, octauo lapide à Praga Bohemiæ metropoli, verſus Morauiam, ſitum eſt. *Quod quidem Zedlicenſe monaſterium circa annum Chriſti 1150. aut 1160. exſtructum, monachoſque VValdſaſſenſi, diœceſis Ratiſponenſis cœnobio accitos*, tradit Bruſchius in Chronologia monaſteriorum Germaniæ, vbi de VValdſaſsi initijs agit.

Anno 1161. *Lambertus* Abbas Ciſtertienſis officium ac munus ſuum ſponte dimittit: cui, fratrum Ciſtertienſium ſuffragio ſuffectus eſt *Faſtradus* primùm Camberonenſis, tunc Claravallenſis Abbas. Claravallenſibus autem datus eſt Antiſtes *Gaufridus* Igniacenſis Abbas. Vide ſupra anno 1137. fuit Gaufridus iſte auctor trium poſteriorum librorum de vita S. Bernardi.

Gaufrido poſtea ſponte cedenti ſucceſsit *Pontius*, qui demum Epiſcopus Claromontēſis obijt. Pontio ſucceſsit *Gerardus* Abbas Nouæ Foſſæ, & martyr.

Anno 1161. Samſon Rhemorum Archiepiſcopus moritur, & ſepelitur in Igniacenſi monaſterio. Cui ſuccedit Henricus, frater Ludouici Francæ Regis, olim in Clara-valle monachus, & tunc Epiſcopus Bellonacenſis. Vide Auctarium noſtrum Sigebertinum.

Anno 1162. tradunt fundatam Abbatiam Soranam, in regno Neapolitano: quæ nunc

 eſt

eſt vnita cum monaſterio Caſæ Marij. vide Baronij Annales, anno 1120. §. 11.

Stephanus ex Alueſtrenſi in Suecia monacho, primus Archiepiſcopus Vpſalenſis creatur, obijtque anno milleſimo centeſimo octuageſimoquinto, in monaſterio ſuo ſepultus: teſte Ioanne Magno libr. 2. de vitis Pontif. Vpſalenſium.

Ciſtertiẽſes eximuntur Ordinariorum, per Alexandrum III.

Alexander III. Papa Ciſtertienſes imperio diœceſani exemit, ſequenti diplomate, quo Ciſtertienſium familiæ adſcripti, coloni, adminiſtrique id genus nominatim continentur: *Dilectis filijs Abbati Ciſtertij, eiuſdem conuentibus vniuerſis Ciſtertienſis ordinis, &c. Ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod nonnulli Eccleſiarum Prælati veſtris libertatibus inuidentes, cùm eis non liceat ex Apoſtolicæ Sedis indulto, in vos excommunicationis vel interdicti ſententias promulgare, in tenentes ſeu firmarios ad annuum reditum terrarum veſtrarum extraneos, & eas proprio nomine excolentes, vel aliàs vobis communicantes, ſententias proferunt memoratas. Nos verò ſupplicationibus veſtris inclinati ne quis Prælatorum huiuſmodi ſententias in fraudem priuilegiorum Apoſtolicæ Sedis de cætero promulgare præſumat, auctoritate præſentium decernimus eas non tenere. Inſuper vobis & ordini veſtro concedimus, quòd firmarij, tenentes, ſeu ſeruientes veſtri in terris veſtris ſituati, à iuriſdictione cuiuſcun-*

iuſcunque iudicii ordinarij eccleſiaſtici ſint quieti: & liceat vobis de cætero & capitulo veſtro de adulterijs, & alijs fornicationibus coram vobis, ſeu alijs Commiſſarijs veſtris eos corrigere, ac etiam diuina audire in Capellis veſtris, & eccleſiaſtica Sacramenta recipere, ac ijſdem firmarijs, tenentibus, ſeu ſeruientibus in Capellis veſtris ſacramenta miniſtrare, tàm intra, quàm extra monaſteriorum veſtrorum ſituationem, &cæt. Sanè ſi quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, Archidiaconus, Decanus, aut aliquis eorundem officiorum, propter hoc in vos, vel in Monaſteria, Eccleſias, ſeu Capellas veſtras, tenentes, firmarios, aut ſeruientes veſtros ſituatos, vel in ſacerdotes veſtros nomine veſtro in Eccleſijs veſtris ſeu Capellis miniſtrantes, aut Eccleſiarum miniſtros aliquos aliquam ſententiam protulerit, illam omninò non valere cenſemus, &c. Idibus Nouembris Pontificatus anno tertio.

Faſtradus primùm Camberonenſis in Hannonia, poſtea Clarauallenſis, ac demum Ciſtertienſis, anno milleſimo centeſimo ſexageſimotertio, Pariſijs moritur, & Ciſtertium transfertur. Succedit *Giſlebertus* Abbas Vrſicampi, & poſt eum Alexander. Vide ſuprà an. 1137.

Agebat id temporis Pariſijs Aleander III. Papa, qui Faſtrado ægrotanti extremam Vnctionem adminiſtrauit. Ludouicus

Galliæ Rex eidem Faſtrado morienti, adfuit. Tanta erat viri integerrimi apud omnes, etiam orbis terrarum Principes, gratia atque auctoritas.

Abbatia de *Recluſo*, vulgò *du Recluz*, diœceſis Trecenſis, iam inde à S. Bernardi temporibus eſt fundata quidem, ſed reditus illius cùm eſſent exigui, ab Henrico Campaniæ Comite liberaliter, anno Chriſti 1164. eſt dotata : vt ex eiuſdem litteris conſtat, quas recitat Nicolaus Camuzatus ſeu Camuzæus, in Promptuario ſacrarum Antiquitatum Tricaſsinæ diœceſis, anno 1610. Trecis edito.

Omnicreator & omniſciens Dominus, cæcitatis noſtræ ignorantiam doctrinæ ſuæ radijs diligenter dignatus eſt inſtruere. Agnoſce, inquit, ó Chriſtiane, dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, cuius capitis & cuius corporis ſis membrum reminiſcere, vt imitator diuinæ dilectionis, quæ in opere conſiſtit, ereptus de poteſtate tenebrarum, tranſlatus ſis in Dei lumen & regnum. Spe promiſsionis huius allectus, Ego Henricus Trecenſium Comes Palatinus, Notum volo fieri præſentibus & futuris: quod compaſſus nimiæ paupertati Eccleſiæ de Recluſo, vt ab arido loco & parum fertili, quo inſidebat Abbatia, ad vberiorem locum & magis commodum transferretur iam

nomi-

nominata Eccleſia, pro timore & amore eius ſummi patrisfamilias, qui dat ſalutem regibus, ad ſalutem animæ meæ & parentũ meorum dedi in eleemoſynam omne fagetum meum, dedi etiam & qui tum clamare feci, quidquid Eugelmerus de Sanceyo & ſui participes ibidem tenuerant. Prætereà conceſsi duos foreſtarios Robertum, ſcilicet & Vlricum de ſolerijs ad cuſtodiendũ nemus. Hæc omnia ad honorem & pacem Ciſtertienſis ordinis, ita liberè & quietè dedi & conceſsi Abbatiæ, quæ dicitur donum Comitis, quòd nemo infrà prædictum fagetum vllam penitus conſuetudinem habeat. Illud etiam addidi & perpetuò poſsidendum conceſsi, quòd fratres iam dictæ Abbatiæ omnimodũ vſuarium ſuum, exaruatione exceptâ, in nemoribus meis de Vueſseio & paſcua habeant; prætereà eiſdem fratribus cõceſsi, quòd ipſi eant & redeant per totam terram meam ab omni iuſtitia & conſuetudine liberi. Et quicunque homines mei ſeſe vel ſuæ præfatæ Abbatiæ reddere voluerint, ipſos ſua liberè & quietè conceſsi, in ſtatutis tamen Ciſtertienſis ordinis interminatè obſeruatis, & vt hæc omnia inconcuſſa & inuiolata in æternum permaneant. Hæc ita fore, ſigilli mei teſtimonio confirmaui, teſtibus Radulpho Abbate Vallis Claræ, Arnulpho Abbate de Recluſo, Tecelino Abbate de Sancto Portu, Ioanne Ab-

bate de Virtute, &c. Actum hoc eſt anno Incarnati Verbi 1164. Ludouico Rege Francorum regente, Guidone Catalunenſi Epiſcopo exiſtente, traditum apud Trecas per manum VVilhelmi Cancellarij.

S. Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus in exilium pulſus, Pontiniaci monachus inter monachos viuit, monaſtica veſte adſumpta. Vide Baron. in Annalibus.

B. Valredus ſiue Alredus Abbas Riheuallis in Anglia claret: de quo Molanus in addit. ad Vſuardum, S. Ianuarij. Scripſit vitam S. Eduardi Regis, Angliæ, apud Sur. tom. 1. & vitam S. Margaritæ Scotorum Reginæ, & alia.

Anno 1164. Godeſcalcus Epiſcopus Atrebatenſis, ex ordine Præmonſtratenſi, ob morbum, Epiſcopatum dimittit. Succedit Andreas, Andræas Abbas Sarnacenſis, vulgò *de Sarnay*, ord. Ciſtertienſis. vide Auctarium noſtrum Sigebertinum.

Clarus Campus in Friſia. Anno 1165. apud Riſmageſtum, inſigne monaſterium *Clarocampenſe*, Bernardini inſtituti primum in Friſia ædificatum eſt. *Eiſo*, natione Friſo, primus eius loci Abbas fuit, vixitque piam ac ſanctam cum fratribus ſuis vitam, ſic vt ea de cauſa poſtmodum plura apud Friſios, eius ordinis monaſteria ſint inſtituta. Sic Andreas Cornelius in Friſiæ Chronicis.

Guichardus ſecundus Abbas Pontiniaci fit

fit Archiepiſcopus Lugdunenſis: teſtè Roberto Altiſiodorenſi. Et verò temporibus iſtis beatæ cenſebantur Eccleſiæ, quibus Præſul ac paſtor ex ordine Ciſtertienſi obtingebat: vt egregiè docet Franciſcus Belforeſtius, Annalium Franciæ libr. quarto, cap. quinto.

Cæterùm in Collectis faciendis Abbati *Pontiniacenſi* committi ſolent monaſteria in tractu Lugdunenſi, Auxitano, Delphinatu, & Prouincia ſita; ex quibus iſta ſunt monachorum: *Mons petroſus*, *Vallis Benedicta*, *Bella Aqua cum Vlmeto* vnita, in d. Tricaſtinenſi, *Campi boni*, *Bona Vallis*, *Aqua Bella* cum *Bocheto* vnita, *Vallis Creſcens*, *Benedictio Dei*, *Bonus Locus*, in d. Lemonicenſi, *Palatium*, ibidem, *Bona Aqua*, *Sinaqua*, *Vallis Sancta*, *Scala Dei*, in Prouincia. *Abbatiæ d. Lugdunēſis, Prouinciæ, &c.*

Monialium verò iſta, *Buxerium*, *Medius Mons*, *Bella Comba*, *Silua*, *Bonus Locus* in Foreſta, *Locus noſtræ Dominæ*, *Bona Aqua*, *S. Pauli*, *S. Iuſti*, *Noſtræ Dominæ*, in vrbe Carpentoractenſi, *Moleſium* cum *S. Cruce* vnitum, *S. Catharinæ* in Auenione, *Mons Sion* in Marſilia *Noſtra Domina de Campis*, *Fons* iuxta Nemauſium. *Monialiū.*

Abbati *Loci Dei*, in d. Ruthenenſi ſolent iſta virorum cœnobia in tractu Toloſano cõmitti: *Bona Vallis*, & *Bellus Locus*, d. eiuſdem *Garda Dei*, *Sancti Marcelli*, *Valleta*, *Bona Aqua*, *In tractu Toloſano.*

Petroſa,

Petroſa, Boſci cani, Bonus locus d.Burdegalenſis, *fons Guilielmi, Gordonium*, aliàs *Abbatia Noua*.

Virginum autem iſta; *Eremus, Vicus, Coſta Ioannis*.

In Gaſconia. Abbatia de Candelio in tractu Gaſconiæ ſolent iſtę virorum Abbatiæ eſſe commiſſæ: *Vallis magna*, cum *Vlmeto* vnita, *Fons frigidus, Bolbona, Grandis Silua, Bona Cumba, Bella Pertica, Bonus fons, Villa longa, Pons altus, Scala Dei* in d. Tarbienſi, *Silua lata, Benedictio Dei, Vallis bona, Francæ Valles*. Item monialium cœnobium *de Oliuis*.

Abbati de *Perſenia* ſiue Perſinia committi ſolent Abbatiæ diſtrictus Cenomanenſis & Andegauenſis; vt monachorum iſtæ: *Pietas Dei*; d.Cenomanenſis, *Tironellum, Campania, fons Danielis, Clarus Mons, Bella Brancha, Oratorium, Buxeria* d. Andegauenſis.

In d. Bituricenſi & Lemouicenſi. Abbati de Fontemoris iſta cœnobia committi ſolent; *Columna, Alba Petra, Locus regius, Vallis honeſta, de Varennis, de Petris, Pratum benedictum, Domus Dei* ſiue *Niger lacus*, & *Oliuetum*. Item *Bellus viſus*, monialium, in d.Bituricenſi.

In d.Pictauienſi & Turonenſi. Abbati Bonę Vallis committi ſolent monaſteria diœceſis Pictauienſis & Turonenſis: vt *Stella, Miſericordia Dei, Pinus, Valentia, Gratia Dei, Nigrum monaſterium, S.Leonardi*, & de *Groſſo Boſco*: Item in Turonenſi tractu,

Curia

Digitized by Google

Curia Dei, Eleemoſyna Ciſtertij, de Fontanis albis, & *Claritas Dei.*

Monialium verò iſta, *Virginitas, Bonus Locus, Aqua Carnotenſis*, & *Locus noſtra Domina.*

Abbati de *Begario* committi ſolent monaſteria Ducatus Britanniæ: *Villa noua, Bona Requies, Vetus Villa, Silua Melonis, S. Mauritij & S. Albini.* Item *Gaudium noſtra Domina*, monialium. *In Ducatu Britannia.*

Abbati de Barbereyo in Ducatu Normanniæ ſolent hæc committi: *Sauigniacum, Bonus portus, Mortuum Mare, Bellum Beccum, Alnetum, Vallis Richerij, Thorigniacum, Trappa, Votum, Strata, S. Andrea, Brolium Benedicti, Fulcardi Mons, Locus Dei*, in Pontino. *In Normannia.*

Monialium verò iſta: *Theſaurus, fons Guerardi, Gomeri-Fons* apud Ambianum.

Abbati Firmitatis in Campania, Picardia, & agro Pariſienſi ſolent iſta cœnobia committi: *Rigniacum, Vallis Lucens, Septem Fontes, Tres fontes, Fons Ioannis, Altus fons, Bonus fons, Ripatorium, de Sigillarijs, Pruliacum, Regalis Mons, Barbellum, Vallis noſtra Domina, Frigidus Mons, Bellumpratum*, d. Bellouacenſis, *Vallis Clara, Signiacum, Recluſum, Bellencuria, Pietas noſtra Domina, Sacra Cella, Monciacum*, Prioratus, *Gaudium noſtra Domina*: qui duo poſtremi, niſi fallor, Prioratus, vniti ſunt cum Ciſtertio. *In Campania & Picardia.*

Monialium item iſta: *Lilium noſtra Domina, Pons*

tia, Pons noſtra Dominæ, S. Antonij apud Pariſios, *Malodunum*, iuxta Pontoiſam, *Gaudium* prope Nemoſiam, *Portus regius*, *Parcum Dominarum*, de *Villaribus* apud Firmitatē, *Monſteriolum*, de *Inſulis* propè Altiſiodorum, *Saluatorium*, *Libera Abbatia in Boſco*, *Vinarium*, *Paraclitus Ambianenſis*, *Villencuria*, *Amor Dei*, *Pratum* apud Trecas, *Sancti Deſiderij*, *Vitriacum*.

In Lotharingia. Abbati Morimundenſi ſolent iſta Lotharingiæ, Barri, & diſtrictus vicini cœnobia committi, *Alta Silua*, *Clarus Locus*, *Inſula Barrenſis*, *S. Benedicti*, *Criſta*, *de Vallib'* in Orneſio, *Villarium Metenſe*, *Vallis dulcis*, *Bellum pratum*, *Bellus locus* d. Lingonenſis, *Directa Vallis*, Prioratus.

Monialium pariter iſta: *Benedicta Vallis*, *Clarauallis Metenſis*, *Bona via*, & Clarus fons.

Abbati de Balerna ſolent iſta, quò ad Taxam ſeu Collectam exigendam, committi cœnobia, in vtraque Burgundia, & Sabaudia.

In Burgundia. In Ducatu quidem Burgundiæ, *Fontenetum*, *de Marcerijs*, *Buceria* in d. Auguſtodunenſi, *Marcilliacum*, *Alta Ripa*, *Longum Vadum*; monialium verò cœnobia, *Tardum*, *Moleſia*, & *Locus Dei*.

In Comitatu Burgundiæ, *Bella Vallis*, *Caritas*, *Balernia*, *Mons S. Mariæ*, *Carus locus*, *Theolocus*, *Aceium*, *Miratorium*, *de Roſerijs*, *Locus*

tis creſcens, Bethania, de Bullione, Gratia Dei, d. Veſontionenſis, & *Clarus fons.*

Monialium item cœnobia, *Bellus Mons, de Courcellis*, & alia.

In Ducatu Sabaudiæ, *Alta Cumba, Stamedium, de Alpibus, & S. Sulpitij, Bonus Mons, Alta Criſta, Alta Ripa.* *In Sabaudia.*

Monialium verò cœnobia, *Valleta, Via cœli, S. Petri, Bonus locus* d. Geneuenſis, *S. Catharinæ, Vallis nigra, Bella vallis, Bella ripa, Locus, Rotundus Mons*, & alia.

Atque hæc quidem ex manuſcripto quodam codice viſum fuit recenſere, ad maiorem ordinis illuſtrationem ac gloriam.

Anno 1168. Machtildis Imperattix moritur Rothomagi, quæ monaſterium *de Voto* pago Caletenſi, iuxtà Iuliam Bonam, exſtruxit, in vſum monachorum Ciſtertienſiũ. Ita Rob. Montenſis, qui & dicti monaſterij Eccleſiam anno 1181. ab Henrico Epiſcopo Baiocenſi dedicatam ſcribit.

Donatus Rex Vrgaliæ, fundator monaſterij Mellifontis in Hibernia moritur. Fuerunt & alia plurima ord. Ciſtertienſis cœnobia olim in Hibernia. *Mellifons in Hibernia.*

Eo ipſo anno 1168. fundata eſt Abbatia S. Leonardi, in d. Pictauienſi.

Libet his ſubnectere Abbatias aliquot regni Galliæ, de quarũ certo fundationis anno nondum mihi conſtat. Prima ſit,

Abba-

Perſinia, ſiue Perſenia. Abbatia de *Perſinia*, aliàs de *Piſcinia* vulgò de *Perſegne*, apud Cenomanos fundata & dotata per Guilielmum, Ioannem & Robertos Comites Cenomanenſes ac Barones *de Sònnois*: teſte Choppino Monaſticorum lib.2.tit.1.§.9.

Gratia Dei, in diœceſi Sanctonenſi.

Abbatia *de la Bußiere*, in d. Auguſtodunenſi.

Noſtræ Dominæ *de Rigny* Abb. in d. Altiſſodorenſi.

Bellum pratum, d. Bellouacenſis.

Noſtræ Dominæ *de la Trappe*, d. Senonenſis.

Vallis Clara, *Vaucler*, d. Laudunenſis, fundata per Comites de Roucy.

Noſtræ Dominæ de Lyncel, d. Valentinę, in Delphinatu.

Grandis ſilua, in tractu Toloſano.

Abbatia *de la Cite-Dieu*, in Britannia minore.

Abbatia *du Paraclit*, virginum, apud Ambianum.

Abbatia *des Nonains de virginité*.

Vallis Regia, Abbatia monachorum, in d. Rhemenſi.

Monſtrolienſis ad S. Veronicam, Abbatia *Monſtreul*, monialium.

Abbatia *de Fony*, virorum, ſecundo lapide Veruino, vbi pax concluſa inter Philippum

pum II. Regem Catholicum, & Henricum Chriſtianiſsimum.

Vallis Regis, Abbatia virorum. *Val Roy*. In Rhemenſi vrbe eſt Prioratus *Clarauallis* vulgò dictus.

Anno 1169. fundatam lego Abbatiam *Fulienſem* in diœceſi *Riuenſi*, prouinciæ Toloſanæ. In hoc monaſterio noſtrâ ætate cœpta eſt Reformatio *Fulienſiũ*, quos Gallicè *Fueilhans* vocant. Vide infrà annum 1587.

Anno 1170. fundatam lego Abbatiam de Dobberano in Sclauonia. Deſignatur fortaſſe *Dobberanum*, celeberrima Abbatia, ſecũdo lapide à Roſtochio ad mare Balticum olim ſita, in Ducatu Mechelburgenſi ſeu Megapolenſi, & in diœceſi, niſi fallor, Suerinenſi: cuius hodieque veſtigia exſtant, vt ex ocreato teſte didici. *Dobberanum.*

Hugo Dux Burgundiæ interfuit Capitulo generali hoc anno Ciſtertij celebrato, & ab Alexandro Abbate Ciſtertienſi, totoque Capitulo ſuſceptus eſt ad participationem orationum dicti Ordinis.

S. Petrum, ex primo Stamedienſi Abbate Ord. Ciſtertienſis, Archiepiſcopum Tarentaſienſem, an. 1171. defunctum Baronius tradit vitam eius, iubente Lucio Papa, ſcripſit Gaufridus Abbas Altę Cumbę, exſtatq; apud Surium tom. 3. Nomen eiuſdem adſcriptum eſt tabulis Martyrologij Romani, ad diem

M 8. Maij.

8. Maij. Alij dicunt eum obijſſe anno 1175. de quo vide infrà.

Anno eodem fundata eſt Abbatia *S. Sebaſtiani* in Catacumbis.

Anno 1174. Guarinus tertius Abbas Pontiniaci, tàm religione clarus, quàm genere, ad Bituricenſem Archiepiſcopatum prouehitur. Ita Robertus in Chronico Altiſiodorenſi. Alij id referunt ad an. 1176.

Anno 1175. Archiepiſcopus Tarentaſiæ, qui fuerat monachus Ordinis Ciſtertienſis, per quem in noſtris temporibus in exhibitione miraculorũ Deus benedicit, cum Abbate Ciſtertienſi Alexandro miſſus à Domino Papa, venit ad regem Francorum pro reformanda pace inter Regem Angliæ & filium eius Regem iuniorem: ſed impedientibus hominum peccatis parum profecit. Ita Robertus Continuator Sigeberti, qui hoc tempore viuebat.

Si de S. Petro Tarentaſienſi Archiepiſcopo hic eſt mentio, vt eſt, ergò fallitur Baronius in Notis ad Roman. Martyrologium, qui tradit ipſum obijſſe anno 1171. Cæterùm de S. Petro Tarantaſiæ Archiepiſcopo, olim ordin. Ciſtertienſis Abbate, plurima habet Baron. tom. 12. Annalium.

Anno 1177. Ruandus Epiſc. Venetenſis, vir religioſus, monachus Ciſtertienſis, moritur: vt ſcribit Robertus Montenſis.

B. Da-

B. Dauid, natione Florentinus, primùm Claraualleñſis, poſtea Hemmerodenſis monachus an. 1179. die 11. Decemb. in Domino obdormit; è terra in capſam plumbeam an. 1226. eleuatus. Scripſit vitam eius & miracula, monachus quidam Hemmerodenſis: quæ Gallicè reddita, exſtant in libro R. P. Ioan. d'Aſsignies de vitis Illuſtrium virorum ord. Ciſtertienſis, Montibus Hannoniæ 1603. edito. 1179. *B. Dauid Hemmerodenſis.*

Hoc tempore floruit S. Hildegardis Abbatiſſa in monaſterio S. Ruperti iuxta Bingam opidum, multis reuelationibus à Deo illuſtrato, S. Bernardo familiaris.

Claruit item Hildegundis memorabilis androgyne, quæ exemplo Eugeniæ, Marinæ, Euphraſiæ & Theodoræ, inter viros virum mentita & Ioſeph vocata, nouitiorum habitu inter Ciſtertienſis Ordinis Monachos honeſtè ad mortem conuerſata eſt. De qua vide Cæſarium in Dialogis, lib. 1. cap. 40.

Anno 1180. floret *Henricus* ex Abbate Claræ-Vallis Epiſcopus & Cardinalis, Albanenſis, vir linguæ diſertæ: qui ad retundendam veſaniam Catharorum ſiue Albigenſium hæreticorum ab Alexandro Papa in Vaſconiam miſſus, prædicationis verbo militum peditumque copias vndecumque contraxit, & præfatos hæreticos

expugnauit: vt loquitur Robertus Altiſiodorenſis in Chronico. Creatus eſt autem Cardinalis anno 1179. ab Alexandro III. Papa. Eiuſdem deploratio de dictis Hæreticis exſtat apud Baronium an. 1178.

Anno eodem fundata eſt *Vallis Dei* in d. Leodicenſi.

Vuoſſecenſe monaſterium, virorum, in Bohemia viſitur, vulgò VVoſſeck nuncupatum. *Eſt id ſitum apud Litomeritzium opidum, excitatumq; circa annum 1180. monachis VValdſaſſo aduocatis*, vt citato loco tradit idem Bruſchius.

Ludouicus VII. Galliæ Rex moritur, ſepultus in Barbello, vulgò *Barbeau*, Ord. Ciſtertienſis Abbatia à ſe fundata.

Anno 1181. Balduinus Abbas Fordenſis, ordinis Ciſtertienſ. monachus, fit Epiſcopus Vigornienſis in Anglia.

Guarinus Archiepiſcopus Bituricenſis, olim Abbas Pontiniacenſis tertius moritur: vt in tabulis Epiſcoporum Bituricéſium legitur. Robertus Altiſiodorenſis dicit eum obijſſe anno 1180.

Ludouicus Francorum Rex moritur, & in Barbelenſi monaſterio ad Sequanam à ſe ædificato, quod eſt Ordinis Ciſtertienſis, ſepelitur. Dicitur hoc monaſterium alio nomine *Sacer* ſiue *Sanus portus*, vulgò Abbatia de *Barbeaux*, non procul à Meloduno alij

dicunt

Digitized by Google

dicunt eum obijſſe anno milleſimo centeſimo octuageſimo.

Herkenroda, Virginum cœnobium, primo lapide ab Haſſeleto Leodicenſis prouinciæ opido, *à Gerardo* pijſsimo Comite Loſſenſi anno 1182. in ſiluis exſtructũ, & annuis cenſibus ditatum eſt. Obijtque dictus Comes eo ipſo anno, 4. Non. Nouembris.

Hoc in monaſterio vixit *B. Eliſabetha Spalbecana*, monialis; cuius vita exſtat in Rubra Valle.

Guarmundus quartus Abbas Pontiniacenſibus à Canonicis Altiſiodorenſibus in Epiſcopum eligitur; ſed ante cõſecrationem obijt: teſte Roberto Altiſiodorenſi.

Anno 1183. Bela Rex Hungariæ conceſsit monachis Ciſtertienſibus eandem libertatem, quam habent in regno Franciæ.

Anno 1184. fundata eſt Abbatia *S. Godehardi*, in Hungaria, & *Abb. Benedictionis Dei*, in Vaſconia.

Petrus Abbas Ciſtertienſis ordinatur Epiſcopus Atrebatenſis, Veronæ per Guilielmum Archiepiſcopum Rhemenſem. Vide Auctarium noſtrum Sigebertinum. De eo fusè Meyerus in Annalibus Flandriæ, anno 1193. quo anno idem obijt.

Anno 1185. fundatus eſt *Campus S. Mariæ*, in VVeſtphalia, vulgò *Marievelde*.

Petrus Claravallenſis Abbas, vir ſancti-

tatis opinione celebris, obdormiuit in Chriſto: vt loquitur Robertus Altiſiodorenſis in Chronico.

Bladerenſe monaſterium virginum apud Audomaropolim in Arteſia à Deſiderio Teruanenſi Epiſcopo excitatur.

Heiſterbach. Anno 1188. XVI. Kalend. Aprilis Conuentus Heiſterbacenſis exiuit de Clauſtro ſiue de Hemmenrodenſi monaſterio, d. Treuerenſis, cùm Abbate ſuo Hermanno, & XI. Kalend. eiuſdem menſis venit ſuper montem Stromberg. Quarto anno poſtea deſcendit in vallem, quæ nunc dicitur Vallis S. Petri. Ita Cæſarius lib. 1. cap. 1. Eſt autem Heiſterbacenſis Abb. ſita in d. Colonienſi, ex oppoſito Bonnẽſis opidi, haud procul à Rheno: cuius loci monachus fuit Cæſarius, ſcriptor Dialogorum de Miraculis.

Anno eodem Henricus Card. & Epiſcopus Albanenſis, ex ordine Ciſtertienſi, à Clemente III. in Germaniam mittitur, ad prædicandam Crucem contra Saracenos: quem ſe puerum in tẽplo S. Petri Coloniæ concionantem audiuiſſe, teſtatur Cæſarius l. 4. c. 79.

Anno 1189. fundata eſt Abbatia de *Sala*, in Tuſcia.

Balduinus ex Abbate Fordenſi in Anglia, creatur Archiepiſcopus Cantuarienſis, obijtque Tyri in Syria: teſte Guil. Neubrigenſi lib. 3. c. 8. & lib. 4. 33.

Anno

Anno 1190. Guidonem Abbatem Ciſtertienſem (cuius meminit Cæſarius lib.6. capit.2. & libr.9. cap. 51.) à Clemente III. eſſe Cardinalem, ſcribit Arnold. Vionus Ligni vitæ libro 1. capit. 44. Apud Onuphrium & Ciaconium nulla monachatus illius fit mentio.

Adelphus ex Abbate ordin. Ciſtertienſis creatur Epiſcopus Oſnaburgẽſis: teſte Crantzio in Metropoli.

Anno eodem Abbatiam de Scelerijs ſeu Sigillerijs, vulgari idiomate Gallico, *de Scelieres*, Trecenſis diœceſis, à Sancti Bernardi Clarauallenſis æuo inchoatum, vectigalibus annuis egregiè auxit Henricus II. Campanię Comes, vt litteræ ab illo datæ an. 1190. teſtantur. *Sceleriēſis Abb. in d. Trecenſi.*

Ego Henricus Trecenſis Comes Palatinus conſiderans & attendens, quòd Eccleſia beatæ Mariæ Sceleriarum, tum ex defectu temporalium, tum ex immoderato debitorum ſuorum grauamine, & filiorum ſuorum diſperſionẽ cogeretur, intuitu pietatis & miſericordiæ ductus, de reuocanda fratrũ diſperſiõe & de loci reſtitutione diligẽter apud me tractaui, & eã in manu mea cepi, & de paruitatis meæ beneficio ad ſuſtẽtationẽ fratrũ ꝓ ſalute animæ meę, & ꝓ remedio bonæ memoriæ Patris mei Comitis Hẽrici & Matris meę Marię illuſtris Comitiſſę, memoratę

tatis opinione celebris, obdormiuit in Chriſto: vt loquitur Robertus Altiſiodorenſis in Chronico.

Bladerenſe monaſterium virginum apud Audomaropolim in Arteſia à Deſiderio Teruanenſi Epiſcopo excitatur.

Heiſterbach. Anno 1188. XVI. Kalend. Aprilis Conuentus Heiſterbacenſis exiuit de Clauſtro ſiue de Hemmenrodenſi monaſterio, d. Treuerenſis, cùm Abbate ſuo Hermanno, & XI. Kalend. eiuſdem menſis venit ſuper montem Stromberg. Quarto anno poſtea deſcendit in vallem, quæ nunc dicitur Vallis S. Petri. Ita Cæſarius lib. 1. cap. 1. Eſt autem Heiſterbacenſis Abb. ſita in d. Colonienſi, ex oppoſito Bonnẽſis opidi, haud procul à Rheno: cuius loci monachus fuit Cæſarius, ſcriptor Dialogorum de Miraculis.

Anno eodem Henricus Card. & Epiſcopus Albanenſis, ex ordine Ciſtertienſi, à Clemente III. in Germaniam mittitur, ad prædicandam Crucem contra Saracenos: quem ſe puerum in tẽplo S. Petri Coloniæ concionantem audiuiſſe, teſtatur Cæſarius l. 4. c. 79.

Anno 1189. fundata eſt Abbatia de *Sala*, in Tuſcia.

Balduinus ex Abbate Fordenſi in Anglia, creatur Archiepiſcopus Cantuarienſis, obijtque Tyri in Syria: teſte Guil. Neubrigenſi lib. 3. c. 8. & lib. 4. 33.

Anno

Anno 1190. Guidonem Abbatem Ciſtertienſem (cuius meminit Cæſarius lib.6. capit.2. & libr.9. cap. 51.) à Clemente III. eſſe Cardinalem, ſcribit Arnold. Vionus Ligni vitæ libro 1. capit. 44. Apud Onuphrium & Ciaconium nulla monachatus illius fit mentio.

Adelphus ex Abbate ordin. Ciſtertienſis creatur Epiſcopus Oſnaburgẽſis: teſte Crantzio in Metropoli.

Anno eodem Abbatiam de Scelerijs ſeu Sigillerijs, vulgari idiomate Gallico, *de Scelieres*, Trecenſis diœceſis, à Sancti Bernardi Clarauallenſis æuo inchoatum, vectigalibus annuis egregiè auxit Henricus II. Campaniȩ Comes, vt litteræ ab illo datæ an. 1190. teſtantur. *Sceleriẽſis Abb. in d. Trecenſi.*

Ego Henricus Trecenſis Comes Palatinus conſiderans & attendens, quòd Eccleſia beatæ Mariæ Sceleriarum, tum ex defectu temporalium, tum ex immoderato debitorum ſuorum grauamine, & filiorum ſuorum diſperſionẽ cogeretur, intuitu pietatis & miſericordiæ ductus, de reuocanda fratrũ diſperſiõe & de loci reſtitutione diligẽter apud me tractaui, & eã in manu mea cepi, & de paruitatis meæ beneficio ad ſuſtẽtationẽ fratrũ ꝓ ſalute animæ meȩ, & ꝓ remedio bonæ memoriæ Patris mei Comitis Hẽrici & Matris meȩ Mariȩ illuſtris Comitiſſȩ, memoratȩ

Eccleſiæ dedi decem modios frumenti aſſignatos apud Nogentum ſuper Secanam, & apud Fontemmacon reddendos annuatim ad feſtum S. Remigij. Addidi etiam & contuli eidem Eccleſiæ pro veſtimẽtis fratrum, decem libras annui redditus in intragio vinorum apud Pruuiuum reddendas fratribus annuatim in nundinis S. Aygulphi de primis nummis qui inde prouenient. Dedi etiam memoratæ Eccleſiæ ſexdecim ſextarios vini apud Barbonam in vinagio aſſignatos ad opus ſacramenti miſſarum. Quod vt notum permaneat & ratum teneatur, litteris annotatum ſigillo meo confirmaui. Actum Trecis, anno Verbi Incarnati 1190.

Fredericus I. Imp. cognomento Barbaroſſa in Terra ſancta moritur 16. Iunij anno 1190. Tyri ſepultus. Is *Runam*, Abbatiã, apud Græcium Stiriæ metropolim fundauit.

Runa in Stiria.

Anno eodem fundata eſt Abbatia *Rinfeldenſis*, iuxta Lubecam in Germania, & *Collis Victoria* in Hibernia.

Floridus Campus, ſiue *Monaſterium Vetus*, apud Bolſuardiam Friſiæ opidum, ædificatum eſt ſtudio ac liberalitate trium fratrum *VVommeliorum*, colonis ex Clarecampo deductis; teſte Andrea Cornelio Friſiæ Hiſtoriographo.

Anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo, dimidio miliari à Bolſuardia ad Orien-

Orientem, eximium Bernardini inſtituti cœnobium, quod primùm Floridus Campus, nunc Monaſterium vetus nuncupatur, eſt ædificatum. Quos verò fundatores habuerit, audies ex verſiculis ſequentibus:

Floridus eſt Campus, hoc clauſtrum ritè vocatum,
Anno milleno centeno namq; colatum,
Et nonageno primo, in feſto Bonifaci,
Cythardus, ſimul Herdradus, cum fratre Siboldo,
Hi fundatores, vt patres nos docuerunt,
Primi presbyteri, laicus fuit alter eorum.

Hi tres fratres erant VVommelij, & anno milleſimo centeſimo nonageſimoſecundo à Clarocampenſi Abbate in cœnobio iam inchoato ſunt conſtituti, Cythardus vt Abbas, Herdradus vt Prior, & Siſebodus, vt Conuerſus: *Hactenus ille.*

Adolphus Primus Comes de Altenae fratrem habuit Gerardum, cui in diuiſione patrimonij ceſsit caſtrum Aldenbergenſe ad Dunum fluuium. Gerardus poſteà factus monachus in Morimundo: quo petente caſtrum Aldenbergenſe in Ciſtertienſis ordinis cœnobium commutauit, quod Vetus Mons nuncupatur, apud Rhenobercam, ſepulcris Ducum Montenſium olim nobile. Factum id tradit Cratepolius, & alij, temporibus Brunonis III. Archiepiſcopi Colonienſis, *Vetus Mons in d. Colonienſi.*

nienſis, qui relicto Archiepiſcopatu, in dicto monaſterio piè viuens, defunctus ac ſepultus eſt. Viſitur ibidem tumulus Adolfi fundatoris.

Anno 1194. fundata eſt Abbatia S. Galgani in Tuſcia.

Reliquiæ S. Malachiæ Epiſcopi Conerenſis, ex Claravalle in Hiberniam tranſlatæ, in Mellifonte alijſq; monaſterijs Ord. Ciſtertienſis, maximo honore recipiuntur.

Anno 1195. fundata eſt Abbatia *Caſa Noua* in Prouincia.

Bodeloenſis Abb. in Flandria.

Bodeloenſis, ſeu Baudeloenſis, vt vulgò nuncupamus, cœnobij, in agro Vuaſiano olim ſiti, quod primum Benedictini, hodie Ciſtertienſis eſt inſtituti, primus auctor *Balduinus à Bocla* exſtitit, anno Chriſti mil-
1167. leſimo centeſimo nonageſimoſeptimo, teſte Meyero in Annalibus Flandriæ. Is cùm in Blandinienſi S. Petri apud Gandenſes cœnobio, monachus eſſet Benedictinus, ſolitariæ atque eremiticæ vitæ deſiderio captus, multis precibus ab Abbate ſuo *Hugone* impetrauit, vt ſibi ad ſilueſtria id temporis Vuaſiani agri loca ſecedere liceret. In his itaque commorans, cùm magnâ iam ſanctitatis opinione, fratribus multis collectis, incláreſceret, cœnobium ædificare cœpit, *Balduini* Flandriæ Comitis, qui pòſt Conſtantinopolitanus Imperator fuit, beneficentia in primis

primis adiutus. In quo cœnobio & piè in Domino obdormiuit anno Chriſti 1200. 1200.

Cæterùm *Gerardus* Abbas Bodeloënſis 3. Benedictinum ſeu Caſinenſem nigrùm habitum in Ciſtertienſem commutauit, quem hodieque retinent fratres Bodeloenſes; in vrbe Gandauenſi, ob tumultus bellicos, fixâ iam ſede.

Hæc nobiſcum communicauit Reuerendus in Chriſto Pater *Gulielmus à Caſtillo* Abbas Bodeloenſis, diſciplinæ monaſticæ ſuique Ordinis ſtudioſiſsimus: à quo & hiſtoriam Balduini Boclani accepimus, quã Gallicè reddidit Ioannes d'Aſsignies lib.1.c.58.

Anno eodem fundata eſt Abbatia Montis S. Mariæ, in Hungaria.

Anno 1198. fundata dicitur *Vallis Dei*, in Hiſpania.

Anno 1199. fundata eſt Abbatia *S. Angeli*, iuxtà Conſtantiam.

Cæſarius, auctor librorum 12. de miraculis, fit monachus in Heiſterbacenſi cœnobio, d. Colonienſis: vt ipſe teſtatur libr. 2. cap. 10.

Gela mulier clara ædificauit Veſtalibus Ciſtertienſibus ſacellum in honorem S. Petri Apoſtoli, in *Slipis*, loco dicto Hunkevliet. Hoc initium erat monaſterij *Noua terra*. Innocent. III. Pontifex Romanus confirmat hanc ædificationẽ donationemq́; Gelæ, anno

Sparmalia in Flãdria.

anno Pontificatus ſui tertio, pridie Nonas
1200. Auguſti, hoc eſt, anno Dom. CIↃ. CC. quarto die Auguſti.

Gregorius IX. Pontifex Romanus, & *Ioanna* Flandriæ Comitiſſa idem approbarunt anno CIↃ. CC. XXX. Moniales autem iſtæ, relicto monaſterio Nouæ terræ, apud *Hun-*
1241. *kevliet*, quod ibi cœperant ædificare, an. CIↃ. CCXLI. migrarũt in parochiam *Zieſele* apud Brugas; vbi *AEgidius de Brene* Canonicus D. Donatiani Brugenſis, idemque Præpoſitus S. Saluatoris Harlebecenſ. fundauit illis monaſterium in loco *Sparmalia* dicto, obtento conſenſu Prępoſiti & Capituli B. Marię Brugenſis, quorum in patronatu locus ille ſitus eſt. *AEgidius* autem *de Brene* vir erat nobilis, & Flandriæ Cancellarius, verſatuſque apud Sparmaliam per annos XXIX. aut XXX. dedit hoc nouo monaſterio in Sparmalia nomen, *monaſterium Noua Hieruſalem*; ſed quod apud Hunkevliet erat inchoatum, nominabatur *monaſterium Noua terra*.

Porrò bona monaſterij huius Nouæ Hieruſalem, in Sparmalia iuxta Brugas in Zieſelenſi pago confirmarunt Innocentius IV. Pontifex Romanus anno CIↃ. CC. XLV. & Alexander IV. anno CIↃ. CCLVI.

AEgidius Brenius fundator moritur an. 1270.

AEgidius de Brene obijt anno CIↃ. CCLXX. Nonis Decembr. ſepultus in hoc monaſterio à ſe fundato, magnifico monumẽto ante

maxi-

maximum altare, cum leone nigro ſub pedibus ſuis. ANNO CIↃ. CC. inter nobiles Hannoniæ lego AEgidium de Brene, & Henricum fratrem eius, Caſtellanum Binchiéſem. Hic AEgidius fortaſsis erat alterius horum fratrum filius. Ita Meyerus in Annalibus Flandriæ.

B. Ioannes Humilis de Monte Mirabili, Gallicè *Montmirail*, nobiliſsimo genere natus, apud Longum Pontem in d. Sueſsionenſi monachus floret. Exſtat ibidem vita eius à coëtaneo fusè deſcripta.

Gilbertus Abbas Hoilandiæ in Anglia vir doctiſsimus, & S. Bernardi in ſtylo æmulus moritur. Scripſit in Cantica Canticorum ſermones, exorſus vbi S. Bernardus morte præuentus deſierat.

B. Ida Louanienſis, monialis in Valle Roſarum apud Mechliniam, in Domino obdormit. Vita eius libris tribus conſcripta exſtat in Rubra Valle apud Bruxellam.

Bona Via, apud vrbem Luceburgenſem, ſita eſt, de qua breuiter ſic Bertelius: *Monaſterium iſtud non procul à Luxemburgo, ad partem eius Occidentalem ſitum, cum adiacente pago*, Bona Via *nuncupatur. Quod quidem à quadringentis plus minus annis fundatum multas ſuſtinuit perſecutionum procellas: adeò vt præter alia non pauca incommoda, tertiò funditus exuri contigerit, & poſt ſingulos nihilominus infauſtos*

iſtos

iſtos caſus, ſtudio & opera Abbatiſſarum, vt noſtro etiam tempore vidimus, eſt reparatum. Sic Ioannes Bertelius Abbas Epternacenſis, in ſua Hiſtoria Luceburgenſi.

1201. *Vallis S. Lamberti.* Hugo à Petraponte Epiſcopus Leodienſis anno Chriſti 1200. conſecratus, Vallem S. Lamberti, Anno 2. ſui pontificatus fundauit. Primus Abbas fuit Gerardus monachus antea Siniacenſis. Ita me legere memini in Chronico manuſcripto S. Iacobi Leodienſis, apud Florentinum Canonicum S. Petri. Placentius in hiſtoria Epiſcoporũ Leodienſium, dicit Hugonem adiutum fuiſſe à Comite Claromontano.

Guido Abbas Ciſterstienſis venit Leodium. Temporibus eiuſdem Hugonis Epiſcopi venit Leodium Guido Abbas Ciſtertienſis, & Pontificis Maxi. Legatus, & multa ibidem vtilia Eccleſiæ ſtatuit: teſte eodem Placentio.

Guido, *inquit*, Abbas Ciſtertienſis, Pontificis Max. Legatus, Leodium adueniens, ab Antiſtite humaniter acceptus eſt. Cuius ibi ſollicitudine Cathena vulgò ſolet vocari: hodie eſt Seminarium diœceſanum. Xenodochion Diuo Mattheo nuncupauit: & quotannis in Conuerſione Apoſtoli Pauli inuiſendum multis gratijs populo commendauit. In ſacerdotum atque Canonicorum luxuriam multa fortiter aſſeruit, & vocatis collegiorum Præpoſitis, aliquot cautiones aucto-

auctoritate Pontif. Maximi promulgauit: Ne Canonici horis diurnis pariter nocturnis à templo abeſſent, qui & communi refectorio atque dormitorio ſe continerent: Ne mulierum ſtrepitu impediti, minus ſuo inſtituto ſatisfacerent; Canonici tantum acolyti in tractatu collegiorum nullius auctoritatis haberentur, donec ſacris initiarentur. Perindè Archidiaconi, niſi diaconi eſſent, ſtipe & honore atque auctoritate carerent; Ambiẽtes plura ſacerdotia deſpicabiles collegijs fierent, & comatuli comamq́ue calamiſtro rotantes, non priùs eccleſiaſtica immunitate gauderent, quam coronam in capite deferrent. Quæ Fredericus Imperator æmulatus, in Namurcenſi collegio Sanctorum Petri & Albani, quod ipſe dotauerat, obſeruari præcepit. Et nonnulla alia adijciens, hoc modo vitijs Eccleſiaſticorum proſpexit. Hactenus Placentius de Guidone.

Tradit idem Placentius ſub eodem Hugone Epiſcopo fundatũ monaſteriũ Hochtanum, virginum, apud Traiectum Moſæ, monialib. ex monaſterio S. Saluatoris, montis Aquenſis euocatis. *Hocht.*

Quarto ferè miliari à Bruxella ſita eſt *Aquirienſis* virginum Abbatia. fuit ea primùm fundata anno 1202. in vico *Aquiria* ſiue *Auiria* nuncupato, ſecundo miliari ab vrbe *Aquirieſis Abb. Virginum in Brab.*

vrbe Leodienſi. Cumque annis ibi quatuor ſtetiſſet, bellis inter Antiſtitem Leodienſem & Comitem Namurcenſem exortis, in Brabantiam tunc pacatam ſeſe, moniales contulerunt, & in vico *Allodienſi* vulgò *Aloux* primo à Niuella lapide anno 1210. domicilium collocarunt. Sed cùm aquarum ibi penuriâ laborarent, inde ad locum, quem hodieque obtinent, anno 1217. commigra-
1217. runt. Subſuntq; in ſpiritualibus Alnenſi Abbati. Hæc ex monumentis eius loci.

DE S. LVTGARDE, MONIALI Aquirienſi: de qua Martyrol. Roma. 10. Iunij.

S. LVTGARDIS, Virgo, patriâ Tungrenſis, primum Benedictini Ordinis in Milenſi S. Catharinæ monaſterio, apud Trudonopolim, poſteà Ciſtertienſis inſtituti, in Aquiria Brabantiæ cœnobio, monialis, obijt anno 1246. Sacra eius oſſa virgines Aquirienſes piè adſeruant. Vitam eius Thomas Cantipratanus, Cameracenſis Epiſcopi Suffraganeus libris tribus conſcripſit, quos mutato ſtylo Surius tom. 3. edidit. Integri & ſani exſtant apud me in veteri codice manuſcripto; itemque apud monachos Trudonopolitanos. Fallitur autem Molanus, alijque eum ſecuti, qui ipſam Aquiriæ Abbatiſſam fuiſſe exiſtimant, vt ex eius loci monumentis mihi conſtat.

B.Lut-

B. Lutgardi familiaris admodum fuit venerabilis *Sibylla Gageſia*, cuius hodieq; tumulus eleuatior Aquiriæ viſitur. De ea non ſemel idem Cantipratanus in vita S. Lutgardis.

Floruit item in Aquiria *Beata Eliſabetha VVanſia*, monialis, cuius vita exſtat quoque manuſcripta, in Rubra Valle.

Anno 1204. fundata traditur Abbatia S. Chriſtophori in Hiſpania.

Anno 1206. Adela Philippi Regis Franciæ mater moritur, & in Pontiniaco ſepelitur, ſicut petierat.

Anno 1207. fundatum & conſtructum eſt monaſterium Pratorum B. Virg. vulgò Benden extra Coloniam Agripp. iuxtà opidum Bruilenſe, à nobili matrona Margaretha ab Herſſels, cuius ſtemmatis nomenclatura vſque hodie perſeuerat. Hoc cœnobium multas viciſsitudines paſſum aliquoties totum conflagrauit. Primò quidem an. 1383. quando omnia ędificia vnà cum templo perierũt, reſtaurata deinde à Canonico ex Officiali quodam Colonienſi. Deinde verò an. 1503. ſub Abbatiſſa Dorothea Ruttenbach, iacuitque tunc temporis ad viginti tres annos deſertum, monialibus hinc inde diſperſis, paucis verò in vili tugurio miſerè deliteſcentibus, donec Chriſtina Ruttenbach Abbatiſſa exiguo peculio inſtructa illud reædificare cœpit. Non potuit tamen nec ipſa nec ſe-

quentes aliquot Abbatiſſæ hoc opus perficere, donec demum Chriſtina Gebels anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono electa, ſingulari diligentia & labore ex omnibus difficultatibus emergens, extremam manum addidit. Ex hoc monaſterio originem ſumpſerunt Conuentus ad S. Aprum Coloniæ, & duo alia monaſteria in ſuperiori Germania.

S. Guilielmus Bituricenſis in Gallia Archiepiſcopus anno 1209. piè in Domino obdormit, ab Honorio Papa anno 1217. in Diuos relatus. Fuerat is primùm Canonicus Pariſienſis & Sueſsionenſis: increſcente ætate monaſticen profeſſus eſt in Pontiniaco, ordin. Ciſtertienſis cœnobio, poſtea verò factus eſt Abbas Fontis S. Ioannis, ac demùm Caroli-Loci. Vita eius exſtat apud Surium. De eodem multa Gulielmus Nangius & Vincentius Bellouacenſis in Speculo Hiſtoriali. Robertus Altiſiodorẽſis in Chronico diſertè teſtatur ipſum fuiſſe Abbatem Caroli loci, & anno 1209. obijſſe: ſed idem tradit ipſum collegio Diuorum ann. 1218. ab Honorio aggregatum.

Biloca in vrbe Gandenſi.

Bilocanum cœnobium, & celebre eiuſdem nominis adiunctum Noſocomium, ſeu Hoſpitale, vt vocant, in vrbe Gandenſi, ſuo ære conſtruenda curauit, vir pietate & ſapientia clarus *Fulco Vtenhouius*, patriâ Ganda-

uen-

uenſis, & Canonicus Inſulenſis, qui anno 1210.
Chriſti milleſimo ducenteſimo decimo floruit. Quo tempore cum expeditio in impiam Albigenſium ſectam, Innocentij III. Pontif. Max. decreto & S. Dominici conſilio, eſſet ſuſcepta; *Iacobus Vitriacus* (poſt Aconenſis in Syria Epiſcopus, & S. R. E. Cardinalis) ab eodem Innocentio Legatus in Belgium miſſus eſt, qui militiam ſacram contra hæreticos Albigenſes Apoſtolica auctoritate promulgaret, in eamque adſcriptos ſigno Crucis ſignaret. Vrſit itaque Vitriacus Vtenhouium, vt eam expeditionem, ſuis ad populum concionibus commendaret. Quod cùm pertinaciter ipſe recuſaret, atque ad id ſeſe idoneum negaret, ſubitò, velut irato ac vindice numine, grauiſsima correptus eſt hemorrhoide; quam vir patientiſsimus, annos quatuor & viginti tam forti infractoque tulit animo, vt & obitus ſui diem præſciſcere, & Chriſti Saluatoris adſpectu ante obitum recreari meruerit. Hæc ferè Mayerus in Annalib. Flandriæ commemorat. Eadem ferè de Fulcone Tho. Cantipratanus narrat lib. 1. Apum cap. 22.

Cæterùm Bilocanæ Moniales in Noſocomio cœnobij muris adiũcto, ægros miſeroſque ſummâ caritate excipiunt, & aſsiduã ijs curandis operam impendunt, pio ſanè ac laudabili Chriſtianæ pietatis exemplo.

Anno 1211. fundata eſt Abbatia S. Mariæ *de Arcu*, in Sicilia.

Anno 1212. fundatam lego Abbatiam *Montis acuti*, in Longobardia.

Fontinella inſignis virginum eſt Abbatia apud Valentianas Hannoniæ vrbem: cuius primæ fundatrices fuêre *Ioanna* & *Agnes*, ſorores germanæ, filię nobiliſsimi Equitis *Hellini Alneti*; quę cùm eſſent Begginæ, ſuis sum-
1212. ptibus anno circiter milleſimo ducenteſimo duodecimo oratoriū fundarūt, in honorē B. Virginis, iuxta fontē noſtræ Dominæ, haud longè à Scaldi fluuio. Cumq; multę Virgines
1216. eò confluerent, anno milleſimo ducenteſimo decimoſexto, ad locum commodiorem, quem hodieque incolunt, ſeſe tranſtulerunt, eodemque ipſo anno Ciſtertienſe inſtitutum amplexæ ſunt, cum nulli certè antea regulæ monaſticæ nomen dediſſent. Sic Iacobus Guiſius in manuſcriptis Hannoniæ Chronicis.

Cæterùm poſtulat hic locus, vt de Begginis in Belgio virginibus, quarum & alibi mentio fiet, paulò fuſiùs agam.

Beguinas ſiue Begginas virgines, quarum apud Belgas plurimi hodieque pij conuentus perdurant, à *S. Begga*, Pipini Laudenſis, (quem primum Ducem Brabantiæ nuncudant) filia & S. Gertrudis ſorore nomen, & inſtitutum accepiſſe nonnulli exiſtimant.

Habuit

Digitized by Google

Habuit autem Begga coniugem *Anſigiſum:* quo defuncto Romam religionis ergò ſe contulit, inde reuerſa ſe & ſua Deo mancipans, Andennæ ad Moſam flu. in agro Namurcenſi, baſilicas ſeptem, in memoriam ſeptem baſilicarum Romanarum exſtruxit, ibidemque anno 686. Virginum monaſterium excitauit ac dotauit, quod nobilium hodie virginum Canonicarum eſt collegiũ. quibus, vt & alijs paſsim apud Belgas ac Germanos virginib⁹ Canonicis, illuſtri loco natis, itemque Begginis Belgicis, ad nuptias tranſuolare licet. Obijt porrò S. Begga anno 689. teſte Sigeberto in Chronico, Martyrologij Roman. tabulis ad diem 17. Decembris adſcripta. Alij tamen Begginas, *Lamberto Begio* ſiue *Beguio* pio ſacerdoti, qui anno 1170. apud Leodienſes floruit, initia ſua debere arbitrantur. AEgidius certè Leodicenſis, Aureæ Vallis Monachus atque hiſtoricus Leodicenſis, ipſum velut auctorem prædicare videtur: *Temporibus,* inquit, *Radulfi Epiſcopi Leodicenſis, cum Simoniacis erroribus irretita teneretur Legia, & iiſdem contaminata fuiſſet; ſuſcitauit Deus ſpiritum cuiuſdam ſancti viri ſacerdotis & religioſi,* qui Lambertus le Begue de S. Chriſtophoro *dicebatur, cuius cognomine mulieres & puellæ, quæ caſtè viuere proponũt,* Beguines *Gallicè cognominantur, quia ipſe primus exſtitit, qui eis propoſitum caſtitatis verbo*

& exemplo prædicauit. vt vt ſit, id mihi conſtat, Canonicas & Virgines nobiles Niuellenſes nuncupari *Beginas* in vetuſtis Pontificum Romanorũ diplomatibus, quæ etiamnum Niuellis in Brabantia adſeruantur.

Quod ad Lambertum Beguinum attinet, habe breuem eius vitam, vnà cum breui noſtro tractatu de Beguinarum origine, an. 1602. typis Plantinianis editam, cùm ſoror mea germana *Catharina Miræa* Beguinis Bruxellenſibus adſcriberetur.

ORIGO BEGVINARVM VIRGINUM, in Belgio hodieqúe frequentium, Ad Catharinam Miræam.

VITAM ſolitariam, & ab interuentoribus liberam cogitanti, CATHARINA Soror, tibi quidem meritò gratulandum, mihi verò prę gaudio exſiliendum putaui; non inani quadam, aut carnis & ſanguinis lętitiâ: ſed ſpiritali potiùs, & è SS. Patrum atque Hiſtoricorũ ſcriptis hauſtâ. Iſta namque dum euoluo, mirifica ſum voluptate adfectus, dum pleroſque SS. Patrum, ſorores pietate illuſtres, adeoque ſacras ac velatas Virgines, Dei benignitate, habuiſſe obſeruo.

Fuit in his MACRINA DD. Baſilij, & Nyſſeni Gregorij ſoror, cuius & vitam frater Epiſcopus poſteritati tranſmiſit. Fuit & GOR-

Digitized by Google

GORGONIA Gregorij Nazian.ſoror, quàm idem funebri laudatione prædicauit. MARCELLINA item ſoror Ambroſij, ad quam varias epiſtolas exarauit. SCHOLASTICA D.Benedictini ſoror, quæ, vt monachorum parens ille, ſic & ipſa Virginum innumerabilium mater exſtitit. Sic & Antonius ſororem Virginum Præfectam; ſic Auguſtinus, ſic Gregorius Magnus, Iſidorus Hiſpalenſis, Bernardus, Thomas Cantuarienſis, & Thomas alter Aquinas, vnam pluresve ſorores Virgines Deo dicatas nacti ſunt, eaſdemque pijs adhortationibus informarunt. Quorum quidem exemplo cùm lætitiæ ſignum aliquod, in iſta vitæ tuæ in melius mutatione, mihi dandum eſſe exiſtimarem, cœpi initia ac progreſſus inſtitui, quod amplecteris, paullò altiùs animo repetere, & veluti à capite arceſſere. Quod quale id tandem eſt, tibi vni, Soror in Domino cariſsima, dicatum libens meritò offero.

Multos ſanè illuſtres ſanctosq; viros Leodicenſis apud Eburones Eccleſia extulit; in quibus & LAMBERTVS BEGIVS, Sacerdos pius, anno ferè à Chriſto nato CIↃ.CLXX. multis virtutibus enituit. Erat temporibus illis Radulphus Lotharingus Leodicenſium Princeps & Antiſtes, homo ſordidus & Simoniaca labe infamis, vt qui eam ipſam ob culpam Archiepiſcopatu

Moguntino excediſſet. Fauore tamen quorundam, vt fit, Leodicenſis Præſul renunciatus, cum ſacerdotia publicè in foro ſub haſta diuenderet, ſubditis ſuis, in his & Clero, peccandi anſam atque exemplum præbuit.

Grauiter, id nec iniuria, LAMBERTVS ferens, totum ſe ad ſuorum ciuium ſalutem procurandam contulit. Vtque erat facultatibus potens, eas omnes pios in vſus liberaliter impendit; atque vt ſexum vtrumq; Chriſto lucrifaceret, conuentui Virorum (quos *Coquinos* hodieque Leodici vocant) à ſe CIↃ CL. inſtituto, Virginum alterum adiecit, & ſuo in horto (quem amplum ad Vrbis muros habebat) ædem eximiam à fundamentis CIↃ. CLXXIX. excitauit, & CIↃ. CLXXXII. D. Chriſtophoro dicauit. Domicilia item diuerſa circumpoſuit, & nobiles virgines plurimas, atque honeſtas viduas eum in locum inuitauit; quæ mox ab auctore & principe BEGIO BEGINARVM nomen induerunt. Vtrique cùm virorum, tum mulierum conuentui (ſunt enim & hodie ſibi mutuò vicini) etſi virum optimũ IOANNEM BARCHIVM Sacerdotem præfeciſſet; tamen & eos ipſe, idque virgines potiſſimùm, exercitationibus ſpiritalibus ad pietatem quotidie informabat, & ad preces pro Epiſcopi, & Cleri ſalute fundendas excitabat. Solitus etiam apud Clerum & populum Dominicis feſti-

feſtiſque diebus (nam annos ipſos decem vehementem Eccleſiaſten egiſſe reperio) de rebus diuinis verba facere, cùm aliquando in Præſulem ac Clerum acriter inuectus, multa de turpitudine Simoniacæ labis diſſeruiſſet ; multorum odium atque inuidiam incurrit. Itaque cum inſtituti huius nouitate, tum hominum ad LAMBERTVM audiendum concurſu excitati multi, multa, vt fit, pro ſua quiſque opinione, loquebantur, variaque in vtramq; partem ſpargebantur in vulgus: Quidam vt virum ſanctiſsimum ſuſpiciebant, alij prætereuntem irridebant, nonnulli ſordibus & contumelijs appetebant. Demum Magnates aliquot è Clero, qui ſeſe ab illo non monitos, ſed læſos interpretabantur, rem ad Epiſcopum deferunt. Itaque dum conſuetum concionandi munus obiturus, ad D.Lamberti ædem primariam pergit, vt ſeditioſus & innouator, Epiſcopo conſentiente, ad Prætorij Eccleſiaſtici carcerem rapitur. Sed veriti plebis tumultum aduerſarij, ex vrbe ad arcem vicinam Reuoignenſem, facilè ſequentem abducunt. Ille innocentia fretus, recti ſe conſcientia ſuſtentabat, & ſacras in vinclis litteras tractabat; ACTAQVE APOSTOLORVM Gallicè reddidit, quæ pòſt Vrbano III. P. M. obtulit. Auctor eſt Iacobus Vitriacus, vincto, vt quondam commentanti Chryſoſtomo, B.

Paulum Apoſtolum ſolatium in aduerſis attuliſſe. Euenit eo ipſo tempore, Deo vindice, ædem D. Lamberti, atque Antiſtitis palatium cum adiunctis incendio conflagraſſe. Prædixerat autem antea hæc euentura, Dei monitu, LAMBERTVS; quo factum, vt magiæ eum aduerſarij inſimularent. Commiſſum itaque eſt Doctoribus quatuor, viris eruditis & grauibus, vt rem omnem expenderent, atque in eius vitam inquirerent. Cumque habita diſquiſitione omnia ex ordine, cùm illius verba, tum facta rectæ rationi, pietatique conſentanea repperiſſent; necdum pacati aduerſarij, vt à ſe virum innocentiſſimum, ſuiſq; moribus contrarium amouerent, Romam ſtrictiùs examinandum ablegarunt. Igitur cuſtode abhibito ad Vrbem vt venit, de iniuria queſtus apud Vrbanum III. Pontif. Maxi. vitæ, ſuique inſtituti rationem eidem candidè aperuit, & facilè comprobauit. Sicque honorificè dimiſſus, & pro more ſuo agere, citraque impedimentum vllum in proximorum ſalutem incumbere iuſſus. cùm BEGINARVM inſtitutum, quarum PATRIARCHA vocabatur, auctoritate, litteriſque ſuis (Io. Placentio teſte in Catalogo Antiſtitum Leodienſ.) idem Pontifex confirmaſſet, ad ſuos in patriam, victis aduerſarijs, reuertit. Mox, vt antea, conuentui ſuo Beginarum augendo dotandoque, com-

commonendis Sacerdotibus, & ad tuendum ſacerdotale munus cohortandis, in concionibus denique, & cæteris Chriſtianæ pietatis officijs, omne ſtudium operamque poſuit. Demùm ſexto quàm ex Vrbe redierat menſe, ſanctiſsimè migrauit ad Dominum menſe Octobri CIↃ. CLXXXVII. conditusque eſt in æde ſacra à ſe exædificata, ante aram ſummam, honeſto tumulo, qui hodieque religiosè viſitur.

Captâ eo ipſo menſe, quo LAMBERTVS obijt, à Saladino Hieroſolymâ, anno inſequente, Henricus Card. & Epiſcopus Albanenſis, Leodium ad corrigendum Clerum (quod obnixè coràm Lambertus ab Vrbano poſtularat,) atque excitandos in Turcas Belgarum animos, à Clemente III. qui Vrbano III. & Gregorio VIII. nuper vita functis ſucceſſerat, cùm imperio miſſus eſt. Is aduerſus Simoniacos acerrimè pro concione diſſerens, cœptum à Lamberto negotium adeò feliciter perfecit, vt non modò Canonicorum plurimos ad ſaniorem mentem reduxerit, ſed & Antiſtitem ipſum permotum ad ſacrũ bellum in Syriam pertraxerit: quo & implicitus viuere deſijt CIↃ. CXCI.

Non credas, quantum per id tempus, magno Eccleſiæ bono, per Brabantiam, Flandriam, Hannoniã, Arteſiam, Geldriam, Batauiam, Friſiam, vicinasque prouincias, eiuſmodi

modi piarum Virginum Beginarum inſtitutum creuerit : adeò vt ad noſtra vſque tempora non in oppidis modò (vbi & ſæpè duplices reperias) ſed in municipijs etiam plurimis, id genus religioſi conuentus, millenis interdum virginibus referti, perdurent.

Nec obſcura tum Principum virorum, atque illuſtrium feminarum pietas aut liberalitas fuit. IOANNA CONSTANTINOPOLITANA, Flandriæ Princeps, matrona virili virtute eximiaque pietate, anno ferè CIↃ. CCXXXIV. præter monaſteria plurima, Beginagia duo, GANDAVI vnũ, BRVGIS alterum excitauit. Nec illi SOPHIA Machliniæ Domina pietate ceſsit, quæ Beginagio ad Vrbis muros amplificando latifundium, ædeſque ſuas liberaliter contulit; quod mox in oppidi pænè magnitudinem excreuit.

Pontificis etiam Romani litteris Apoſtolicis, atq; Indulgentijs pios hoſce cœtus auctos eſſe voluerunt, eorumq; protectionem ac defenſionem libenter ſuſceperunt. INNOCENTIVS certè IV. Beginagijs MACHLINIENSI & DISTENTI CIↃ. CCXLV. BRVXELLENSI CIↃ. CCXLVII. atque vniuerſis per Belgiũ caſtis id genus Virginibus CIↃ. CCXLVI. beneficia plurima impertijt. IOANNES etiã XXI. conuentum ANTVERPIENSEM CIↃ. CCXCVIII. ſibi tutandũ ſumpſit.

Quæ

Quæ quidem indulta ac beneficia nouis adiectis, Apoſtolici Internuntij per Galliam Belgicam plurimi, ſuo quiſque ordine, cumularunt. In his quidem PETRVS CAPVNCTIVS Cardinalis BRVXELLENSEM ſocietatem CIↃ.CCLIV. ſua auctoritate coram ſtabiliuit, & ANTVERPIENSEM HVGO BARCINONENSIS CIↃ.CCLII. amplis Indulgentijs ornauit.

Nec Pontificibus, eorumq; Legatis Principes hac in re fuêre inferiores. Narrat Tho. Cantipratanus S. LVDOVICVM Galliæ Regem, vt erat virginitatis amantiſsimus, maximam Lutetię Pariſiorum Beginarum multitudinem collegiſſe: PHILIPPVM inſuper MONMIRALLIVM V. N. & monaſteriorum VIII. Ciſtertienſis Ord. auctorem, Beginarum quinque amplius millia, diuerſis in locis, Chriſti iugo mancipaſſe. IOANNES certè I. Lotharingiæ Brabantiæque Dux LIRANAS Virgines CIↃ.CCLXXIV. BRVXELLENSES CIↃ.CCXCIII. opibus iuuit, & patrocinio ſuo complexus eſt. Idem IOANNES II. filius, alijque ex ordine Principes præſtitêre.

Firmatis hunc in modum apud Belgas Beginagijs, magnæ & turbulentæ procellæ ad eadem labefactanda ſunt excitatæ. Quamquam nemini id mirum videri debet, cùm & ſanctiſsimæ quæque Religiones grauiſsimas

mas tempeſtates iam inde ab exordio pertulerint. Id ſacri DD. Dominici & Franciſci Ordines abundè teſtantur; vt de Societate IESV à beato Ignatio, patrum memoria, publico Eccleſiæ bono excitata nihil dicam. Adeò verum illud Apoſtoli: *Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patiuntur.*

Itaque cùm temporibus illis varij ſexus vtriuſq; Hæretici, Fratricelli, Beguardi, Beguinæ, alij, Ger. Segarello, Hermanno Ferrarienſe, Dulcino & Margareta eius concubina auctoribus ſeſe extuliſſent, eosq́; CLEMENS V. P. M. in Concilio Viennenſi fulmine percuſsiſſet; factum eſt, vt piæ noſtrates Beginæ, pleriſq́ue nominis affinitate deceptis, plurimum exagitarentur. Non id tulit Clementis ſucceſſor IOANNES XXII. qui mox inito Pontificatu decreuit declarauitq́ue, anathemate nequaquã eſſe percuſſas *honeſtæ* (vt appellat) *vitæ mulieres plurimas, quæ ſimiliter Beginæ dicerentur, quæq; per virtutum odoramenta currentes, honeſtè viuerẽt, Eccleſias frequentarent, à diſputationibus & erroribus Beguinarum Alemanniæ alienæ eſſent, in ſancta & ſolida ſimplicitate, aut parentum, aut conductas, aut proprias vel communes domos honeſtè inhabitarent.* Nam præter *Cap. Rat. recta de Relig. dom. in Extrau.* exſtant & alia in hanc ſententiam IOANNIS eiuſdem in Belgium miſſa

Decreta

Decreta plurima. In his Diploma ad BRVXELLENSEM conuẽtum CIↃ.CCCXVIII. Auinione datũ. Alterum ad PETRVM CAMERACENSEM Epiſcopum CIↃ.CCCXX. Tertium ad ANTVERPIENSEM in D. Michaelis Abbatem CIↃ.CCCXXII. Quartum ad GVILIELMVM Tornacenſem Epiſcopum CIC. CCCXXVII. & alia plura. Vt liquidò conſtet, nunquam LAMBERTI BEGII, aut BEGINARVM BELGICARVM inſtitutum damnatum eſſe.

Hæc aduerſus Gabr. Prateolum, virum quidem eruditum, ſed rerum noſtratiũ non ſatis gnarum, ex Martini Nauarri, Alfonſi vander-Borchtij, Franc. Pegnæ, aliorumque ſcriptis ſatis ſuperque dicta ſint. De pijs autem huius inſtituti Virginibus plura cognoſcere qui volet, legat is IAC. VITRIACVM de Virginibus, quæ in Moſam, ſeruandæ virginitatis cauſſâ, in direptione Vrbis CIↃ.CCXII. ſeſe præcipitarunt; itemque de Fulcone Epiſcopo Toloſano, qui ſanctitatis virginum fama excitatus Leodicum venit. THOM. quoq; CANTIPRATANVM de bis mille Beginis Niuigellenſibus. PETRI HERENTALII MS. Chron. CHRIST. MASSAEVM de Ioanna & Agnete ſororibus, Beginis, Hellini Alueti V. N. filiabus, quæ Fontinellam, cœnobium Ciſtertienſis inſtituti, in agro Valentiano apud Hanno-

nes

nes CIↃ.CCXII. exædificarunt. IO. MOLANI Natales Belgicos de beata Gertrude ab Ooſten, quæ Delphis Batauorum CIↃ. CCCLVIII. magna ſanctitatis opinione, viuere deſijt. Demùm IOAN. FREDERICI LVMNII plenum hiſce de rebus Commentarium, breui, vt ſperamus, luce donandum.

AD te redeo, mea Soror, tibiq́ue hoc inſtitutum ſalutare opto, precorq́ue Deum venerans, vt B. CATHARINAE Virginis & Martyris Alexandrinæ, quam nomine refers, veſtigijs quoque, Deo benè iuuante, inſiſtas; quò animi perturbationes, corporisq; adfectiones ita domitas habeas, vt, quod religionis eſt proprium, martyrio, & quidem perpetuo, defungaris FELICITER.

Eppinckouen & Zaren. Anno 1214. conſtructum eſt Monaſterium in Kalesforſt, pro Monialibus, poſteà tranſlatum in Eppinckhouen non longè à Noueſio, vbi Eruaten ſeu Erpiam fluuiolum habet contiguum.

Parcum Dominarũ apud Louaniũ. Item Zaren iuxta Duisburgum *Parcum Dominarum*, quod eſt cœnobium Virginum primo lapide à Louanio, initia ſua debet *Ioanni Hugoni & Beatrici* coniugibus, in Parco commorantibus: quibus proles cùm deeſſent, viſum fuit hæreditatẽ in pios vſus conuertere. Exſtructum ergò cœnobium Virginibus ex Auguſtinianæ regulæ præſcripto victu-

victuris. Poſteà *Reinero* quodam Equite adlaborãte, & res monaſterij augente, circa annum 1215. florens id temporis inſtitutum Ciſtertienſe eſt introductum. Itaque *Henricus* Lotharingiæ, Brabantięque Dux, Abbatiam ſanctimonialium in terra ſua iuxtà Louaniũ ſuis temporibus conſtitutam an. 1216. confirmauit, Gregorio Pontif. Max. collaudante. 1216.
Dotem poſteà quoque auxêre vicini Vveſemaliæ, & Rotſelariæ Barones. De *Rachele* Iudæa ad Chriſtum conuerſa, & monialibus in Parcodominarũ adſociata, lege Thomam Cantipratanum lib. 2. Apum cap. 25.

Appellatur autem hic locus *Parcum Dominarum*, ad diſcrimen alterius Parci, celeberrimi Canonicorum inſtituti Præmõſtratenſis cœnobij, ad muros vrbis Louanienſis: de quo vide Chronicon noſtrum Præmonſtratenſe.

In Parco Dominarum floruit B. Catharina Louanienſis, monialis, cuius vita exſtat MS. in Rubra Valle.

Rameia Virginum Abbatia ſtetit primitùs in vico *Kerckum* ſiue *Kerckehem*, ſeſquimiliari à Louanio, loco ab Abbate S. Cornelij Indenſis (vt arbitror, quia illi & iam nunc cenſum pendit,) accepto, vbi veteris cœnobij & murorum veſtigia conſpiciuntur. Sed cum aucto virginum numero, & àquæ defectu, locus ineptus iudicaretur, alio loco *Rameia in Brab.*

Gerardi mentio in vita B. Idæ Niuellenſis.

per *Helluuidem* Abbatiſſam Niuellenſem, & *Gerardum* Iacheæ toparcham donato, clauſtrum cum Eccleſia exſtruxerunt. Obijt illa anno 1215. hic verò an. 1216.

Virgines porrò cum antea, more aliarum, liberiùs & ferè ſeorſim viuerent, rigidiorem diſciplinæ modũ an. 1501. amplexę ſunt.

Cœnobium hoc nulli tota Brabantia facile cedit, ſiue amplitudinem ſpectes, ſiue ſitum, ſiue quid aliud commendabile. Locus in ſiluæ ſecreto, ſacris vſibus conuenienti; ædificia amplitudine & ſpecie eximia ſunt adornata, porticibus, officinis, fontibus eleganter inſtructa. Numerus virginum excedit, hoc exulcerato tempore, ſexagenarium. Hæc ex eius loci archiuis Io. Baptiſta Grammaius in ſua Brabantia commemorat.

DE MONIALIBVS SANCTITATE *conſpicuis in Rameia.*

B. *Ida Niuellenſis*, virgo & monialis in Rameia, migrauit ad Dominum anno milleſimo ducẽteſimo triceſimo primo, ętatis triceſimo ſecundo; expletis in ordine Ciſtertiẽſi annis amplius ſexdecim. Vitam eius ſcripſit vir quidam religioſus atq; eruditus, inſtituti, vt arbitror, Ciſtertienſis, quæ apud me eſt manuſcripta, & in Rubræ Vallis cœnobio apud Bruxellam.

B. Ida

B. Ida Leuuenſis, itidem virgo & monialis, floruit circa annum milleſimum ducenteſimum triceſimum, vt opinor. Hiſtoria vitæ eius, auctore anonymo, ſed erudito; exſtat apud me in veteri codice, & Tomo II. Hagiologi Brabantinorum in Rubræ Vallis monaſterio apud Bruxellam.

Apud Montes Hannoniæ viſitur *Locus Spinoſus B. Mariæ*, quod *Spinlieu* vulgò nuncupatur. Fuit locus iſte ſpinis ac ſentibus olim plenus, & primùm ab Eremita quodam inhabitatus. Quo in loco poſteà nobiliſsima Virgo *Beatrix Lenſienſis*, caſtitatis ſeruandæ ergò, dotem ſuam matrimonialem, ſeſeque Chriſto offerens, anno circiter 1216. milleſimo ducenteſimo decimoſexto, cęnobium inchoauit, & ordinis Ciſtertienſis habitum induit.

Locus Spinoſus B. Mariæ in Hannonia.

Ioanna porrò *Conſtantinopolitana*, Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa, prædijs & prouentibus cœnobium iſtud liberaliter auxit; vt conſtat ex diplomatibus aliquot, anno milleſimo ducenteſimo decimoſeptimo datis. Ita Iacobus Guiſianus in manuſcriptis Hannonicæ Chronicis.

Eſſenum cœnobium, Virginum, apud Friſios, vulgò *Eſſen*, non procul Groninga, eo in agro, qui præfectura ſuburbana continetur, ad annum Chriſti milleſimum du- 1216. centeſimum decimum ſextum inſtitutum

Eſſen in Friſia.

fuit, auctore *Theodorico* quodam ſacerdote Groningano : quod ex nomine loci, in quo conditum eſt, *Eſſenũ* primò, deinde *Ieſſaum* nuncupatum; nunc prius nomen retinet. Inſtitutum hoc ab Othone Epiſcopo Vltraiectino, è Lippieſium Comitum familia, Bernardi filio, præſente inſpectum, & confirmatum anno eodem. Sed tenuis in initio res, paucos intra annos plurimum incrementi cœpit. Familia virginum Ciſtertienſis illic collocata, præſesque collegio data Abbatiſſę titulo. Ita ferè Vbbo Emmius in Friſiæ Chronicis.

1217. Anno 1217. Gualterus ex Abbate Pontiniacenſi creatur Epiſcopus Carnotenſis in Gallia, obijtque an. 1233.

B. VVerricus Prior Alnenſis monaſterij 15. die Decembr. in Domino obdormit. Exſtat vita eius verſibus Latinis conſcripta per monachum quendam Alnenſem, quam Gallicè reddidit Ioannes d'Aſsignies cap. 46. exſtat autem Latinè apud Camberonenſes.

Vallis florida in Brabant. *Vallis Florida*, in Brabantia virginum Abbatia, ex eo nomẽ iſtud ſortita eſt, quod cùm templi fundamenta iacta eſſent loco, qui hodieque *Vetus Abbatia* & *Capella pratum* vocatur, diuino monitu, iuſſum ſit locum floribus ſparſim petere, & huic rei oportuniorem futurum. Id factum, & prout reperta in orbem picta floribus planities, templum eſt exſtru-

exſtructum. Cœnobij fundatores Dux Brabantię & Toparchę Ottiniaci, Nethenarum, Boſſuti, & Græſij. Benedictinæ primò fuêre numero viginti, ſuntque Ciſtertienſe inſtitutum an. 1218. amplexæ. Abbatiſſa prima 1218.
Gentina Romam profecta, & ordinis, & cœnobij confirmationem impetrauit, & crucem reliquijs Sanctorum exornatam retulit, quæ etiam nunc magno honore adſeruatur. Honorius Papa, qui primus cœnobium ſua auctoritate muniuit, Prioriſſam vocat eius loci Antiſtitam; ſecuti verò Pontifices omnes Abbatiſſam. Henricus I. Brabantiæ eas & bona earum an. 1223. in ſuam recepit protectionem. Primæ Ciſtertienſes, cum Beatrice illa celebri apud Liram Abbatiſſa, ex Lintrenſi Valle Virginum venerunt. Ita Grammaius in ſua Brabantia commemorat.

In hiſtoria vitæ Venerabilis Beatricis, fundator dicitur *Bartholomæus* cognomine *Lanio*, ciuis Thenenſis, vir diues & pius: qui præter Vallem Floridam, ſundauit quoque anno 1220. *Vallem Virginum*, apud Lintras in agro Tenenſi, & *Nazarethum* apud Liram Brabantiæ opidum: vbi & ſepultus quieſcit. Exſtat hæc vita MS. in Rubra Valle apud Bruxellas, libris tribus conſcripta à Monacho quodam Ord. Ciſtertienſis. Obijt autem Beatrix anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimooctauo, fratrem ea habuit religioſum

Vallis Virgin. & Nazareth.

Auerbodienſem, inſtituti Præmonſtratenſis.

Lintrenſi porrò monaſterio Arnoldus VVeſenaliæ toparcha anno 1244. ampliſsimos prouentus adiecit.

Anno 1218. ſumptibus & expenſis religioſi Comitis Gelrię Gerardi conſtructũ eſt monaſterium B. Virginis, pro Monialibus apud Ruremundam, quod S. Engelbertus Colonienſis Archiepiſcopus perpetuæ Campenſium Viſitationi ſubiecit; in quo etiã D. Richardis Vidua prædicti Comitis relicta ſeculi pompa religioſam vitam duxit.

V. Danorum & Sclauorum Rex, fatribus
1229. Ciſtertienſibus anno 1229. conceſsit, vt ipſorum Viſitatores vitæ neceſſaria habeant apud exactores ſuos & villicos.

Anno eodem Conradus, filius Comitis Seynenſis, primùm Villarienſis in Brabantia, poſtea Ciſtertienſis Abbas, ab Honorio III. creatur Card. & Epiſcopus Portuenſis. Obijt anno 1234. iuxta Ciaconium, aut an. 1225. iuxta Onuphrium, qui dicit ipſum ſepultum in vrbe Barenſi. Vide quæ diximus ſuprà an. 1147.

Vallis Roſarũ. Vallis Roſarum, Abbatia monialium in Brabantia, ad Netham flu. haud procul, à Duffelia, circa annum 1220. ædificatur ab AEgidio Bertautio, ex Baronibus Grimberganis oriundo; vt Goſuinus Boſſutus refert in vita

in vita B. Arnulfi Cornibantij. Huius loci monialis fuit B. Ida Louanienſis, cuius vita MS. exſtat.

Portzetum, vulgò *Bortzet*, in agro Limburgenſi, haud longè ab Aquiſ-Grani ſitum eſt. Cœnobium iſtud, ſalutaribus balneis, quæ in eo ſunt, celeberrimum S. Gregorius, frater Theophanij Imperatricis, quam Otho II. vxorem habuit, à fundamentis exſtruxit. Fuitque olim monachorum, quibus diſperſis moniales inſtituti Ciſtertienſis annò milleſimo ducenteſimo viceſimo ſucceſsêre. Latiùs iſta narrantur in hiſtoria manuſcripta Porzetana, temporibus primæ Abbatiſſæ conſcripta, in hunc ferè modum.

Beatus Gregorius, primus Abbas; & fundator huius loci, filius fuit Nicephori Bizantini Imperatoris, & frater Theophanij, quam vxorem habuit Otto Secundus. Hic autem Gregorius omnibus poſthabitis, ſub Abbate quodam Pachomio, monaſticam vitam amplexus eſt, eiuſque iuſſu ſacros ordines ſuſcepit, cui etiam morièti in regimine ſucceßit. Fuit autem ſemel à Saracenis interceptus, & ad mortem vſque, grauiter & turpiter vulneratus. Cùm autem varijs clareret miraculis, diabolus, cui à calumnia hoc nomen eſt, aliquot ei hoſtes dedit, ſed vir ſanctus eorum inſidias Romam fugiendo declinauit. Vbi prius loca ſancta viſitauit, quàm Theophaniū ſororē adiret. *Apud Molanum in Nata. SS. Belgij 4. Nouemb.*

Verùm mox ſororis ſuæ conſilio, & ſumptibus in vrbe ſtruxit cœnobium S. Saluatoris: in quo, dum præeſſet, multos Romanos à laſciuijs ſæculi conuertit, & nobilium pueros cœleſti dogmate inſtruxit. Nobilis quidam nomine Ioannes, decem ſummarios auro & argento oneratos famulo Dei tranſmiſit, quam eleemoſynam beatus Abbas mox pauperibus dimiſit. Quod percipiens memoratus nobilis, Deo inſpirante, cœnobium beati viri adijt, atque ab eo ſacrum habitum & monaſticam ſuſcepit diſciplinam.

Cùm autem Romanis ob ſanctitatem & miracula eſſet admirandus, Otho Lotharingos adiens (indixerat enim Aquiſ-Grani Principibus ſuis curiam) virum tanti nominis à latere ſuo abeſſe noluit. Sed cùm dictus Imperator ſentiret eũ tædium habere ſæcularium negotiorum, obtulit ei conſtruendum cœnobium extra Aquiſ-Grani Porzeti, eundemq́; locum tum propter Deum, tum propter virum ſanctum, quibus poterat honoribus ampliauit. Ibidemq́; in ſenectute bona, pater monaſterij, vitam præſentem in æternam commutauit prid. Nonarum Nouemb. Sicut autem in vita, ita & poſtmodum mirabilia fecit; de quibus multa antiquitate, aut potius negligentia obſoluerunt. Cæterùm Abbas VVolframus, quem aqua Porzetana à calculo non liberabant, per ſancti merita radicitus eſt liberatus. Vnde pro ſui medici exaltatione & tranſlatione ſolicitus, vitæ hiſtoriam, caſu non ſatis noto combuſtam, cùm

Arnoldo

Arnoldo ſucceſſore ſuo, iterum colligi fecit, potiſſimum & cortina, quam Theophanium obtulerat Coloniæ in Eccleſia ſanctimonialium B. Mariæ, quæ vitam pij fratris cum euidentibus capitulis continebat.

Arnoldus autem poſt preces & ieiunia, ſacra membra iuxta ſummum altare depoſuit. Non enim maiora auſus eſt, quia auctoritate Apoſtolica nondum canonizatus erat. Non multò pòſt diſperſi ſunt monachi, quibus ex monte S. Saluatoris ſucceſſerunt Abbatiſſa & ſanctimoniales Ordinis Ciſtertienſis circiter quinquaginta, anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo. Eæ autem hactenus permanent, & natalem primi ſui fundatoris celebrant. Hactenus ex Molano.

Meminit huius cœnobij, & tabulæ S. Nicolaum repræſentantis, ob miracula olim celebris, Cæſarius Heiſterbacenſ. *In Porceto,* inquit, *monaſterio, quod iuxta Aquaſ-Grani ſitum eſt, tabula cubitalis eſt, imaginem beati Pontificis Nicolai ab vmbilico & ſurſum in ſe repræſentans, quam beatus Gregorius, Regis Græciæ filius, & cœnobij eiuſdem primus Abbas atque fundator, illuc aduexit. Dicitur eadem fuiſſe icona, quam barbarus, ſicut in miraculis S. Nicolai legitur, tulit, & ad cuſtodiam ſui telonei poſuit, cuius occaſiòne ad fidem conuerſus eſt, cùm ſua perdidiſſet, & caſa imagine eadem recepiſſet. Plurima per eum virtutes factæ ſunt, maximè in prægnantibus. Tempore quodam cum ad domum cuiuſdam* — *Lib 8. Miracul. cap. 78.*

iuſdam honeſtæ matronæ in partu laborantis fuiſſet deportata, & contra eam ad parietem ſuſpenſa, ea hora qua partum edidit, ne parientem quaſi attenderet, cunctis qui aderant intuentibus, tabula ſe vertit. Eſt autem eiuſdem imaginis * al. exceſa. *facies oblonga, & * obeſa, multæ grauitatis & reuerentiæ, & in fronte caluities capilli, tam capitis, quàm barbæ, candidæ canitiei. Nuper verò monachis cedentibus, ſanctimoniales Ordinis noſtri cum tabula locum receperunt.* Hactenus Cæſarius.

1221. Circa annum Chriſti 1221. aut 1222. Gulielmus primùm Altiſiodorenſis, poſtea Pariſiēſis Epiſcopus, ab Eccleſia S. Antonij Pariſienſis cōuentum ſanctimonialium Ciſtertenſium, Altiſiodorum in locum qui dicitur *Celle* adduxit: vt loquetur Robert. in Chronico Altiſiodorenſi.

Celle.

Colonienſis vrbis cœnobia. In vrbe Colonienſi tria ſunt monaſteria Virginum Ordin. Ciſtertienſis. I. *Speculum B. Mariæ*, vulgò in *Seyen*, anno 1221. propè Rhenum fundatum à Machtilde Comitiſſa de *Seyen*. II. *Hortus B. Mariæ* anno 1300. à nobili quadam fœmina cognomento *Seyer*, aut *Geyer* excitatus. III. Monaſterium *S. Apro* martyri ſacrum, non procul à porta Honoris. Sic ferè Erardus VVinheimius in Sacrario Agrippinæ.

Tertio ferè lapide diſtat & à Colonia, haud procul à Bruela, *Mons S. VValpurgis*, olim monialium

nialium, poſteà monachorum Ord. Ciſtertienſis cœnobium: nunc verò deſtructum & occupatum à Patribus Societ. Ieſu.

Cratepolium tradit à Guderade coniuge viri *Hermanni Geyer*, fundata duo monaſteria Virginum Ord. Ciſtertienſis, in diœceſi Coloniẽſi, videlicet *Fontem B. Mariæ in Villa*, *Nemore* iuxta Burbach (vbi anno 1312. ſepulta eſt cum marito (& *Hortum B. Mariæ*, circa annum 1300. ſub VVicboldo Archiepiſcopo Colonienſi.

Anno 1222. Cæſarius Heiſterbacenſis ſuos Dialogorum libros de Miraculis & hiſtorijs memorabilibus ſcribit: vt ipſe teſtatur libr. 10. cap. 48. Scripſit & vitam Sancti Engelberti Epiſcopi Colonienſis, ac martyris à Surio editam. Fuit diu Prior in Villario apud Brabantos. *Cæſarius Heiſterbacenſis.*

Anno 1223. (alij volunt anno 1240.) fundatur cœnobium Virginum *in Bennickhouen*, diœceſis Colonienſis, non procul à Lippia: quod reformatum eſt anno 1477. item aliud Monialium, quod vocatur Honepa, iuxta Dauentriam.

Abbatiam *Suiuicanam*, fœminei ſexus, apud Teneramondam Flandriæ opidum ſitam fundauit *Machtildis* Tenerẹmondæ Domina, mutato hoſpitali S. Aegidij, quod paulò antè ſtruxerat, in cœnobium cum omnibus emolumẽtis & redditibus, q̃ antè fuerant hoſpi- *Suiuicana Abb. Virginum in Flandria.*

Digitized by Google

hoſpitalis, cum alijs de nouo fundis, cùm ſuâ, tum aliorum liberalitate. quâ de re hoc exſtat diploma.

In nomine Patris & Flij & Spiritus ſancti, Amen. Sciat vniuerſitas veſtra, tàm poſterûm quàm præſentium, quòd ego *Machtildis* Domina de Toneremonda, in ſpe diuinæ clementiæ cultum domus Domini ampliari deſiderans, domum S. AEgidij in Teneremonde temporibus meis factam, cum ſuis appendentijs, ad ſtruendam Abbatiam ſanctimonialium Ordinis Ciſtertienſis liberè contuli, & approbaui. Eam verò cum ſuis perſonis, & poſſeſsionibus, nec non & omnibus bonis à me, vel ab alijs collatis, vel in poſterum conferendis, ſub noſtra, ego, & dilectus filius meus Robertus, nec non & ſucceſſorum meorum protectione ſuſcepimus, vt autem ampliori dicta noſtra domus gauderet beneficio, bonis à noſtris feudalibus ad opus Abbatiæ in manus noſtras reſignatis, ſcil. terra Regnoti, & terra Heribrandi, nec non & bonis à nobis intuitu diuinę remunerationis collatis, ſcil. Peerbroech, & Meerbroech ad nos pertinente, Brulo, Molendino iuxtà Foſſatum apud Teneremonde, decima noſtra in Hamme, decimà de Herdebure, & piſcatione cum vna naue in aqua, quę vocatur Denre, à Molendinis, ſuprà eam donauimus. Hæc auté ſuprà dictæ domui ſicut iuſtè

iuſtè modo poſsidet, vel in poſterum poſsidebit, liberè confirmamus. & ne aliquis ſuprà dictæ domui violentiam inferre attentauerit, præſentes litteras ſigillorum noſtrorum munimine corroborauimus, quòd ſi quis auſu temerario noſtræ donationi contraire præſumpſerit, ſciat ſe indignationem Dei omnipotentis, & noſtram incurſurum. teſtes Ioannes Archidiaconus Brabantiæ, VVilhelmus Archidiaconus in Antuerpia, Cameracenſis Diœceſis, Ghiſelbertus preſbyter de Gandauo, Arnulphus presbyter de Opvvyck, VVilhelmus de Betunia, Hugo de Gandauo, Sigerus frater eius, Giſelbertus de Raſſenghem, Ioannes de Betunia, AEgidius de Morſeka, Margareta de Teneremonde, Margareta de Betunia, Machtildis Domina de Raſſenghem, Actum anno milleſimo ducenteſimo vigeſimotertio, v. Idus Octobris. Ita Dauid Lindanus in ſua Teneramonda eruditiſsimè deſcripta.

Abbatia iſta nunc ſubeſt viſitationi Prioris S. Saluatoris Antuerpienſis, ex commiſſione Reuerendiſsimi Domini Ciſtertienſis.

Anno 1225. fundata eſt Abbatia *Gratiæ Dei*, in Anglia.

Henricus Vratiſlauienſium Dux, *Trebnicienſe* monaſterium virginibus Ciſtertienſibus circa hunc annum exſtruxit: teſte Cromero

mero Polonicorum Annal. libro ſeptimo.

Anno 1226. fundata eſt Abbatia *S. Eduardi*, in Scotia.

Viridariū B. Mariæ. *Viridarium* B. Mariæ, vulgò *Vergier*, celebre eſt monialium cœnobiū, inter Duacū & Cameracū. Huius exordia Toparchæ *Oiſiacenſi*, circa annum Chriſti 1227. adtribuunt. Eſt autem Oiſiacenſis ditio, vulgò *Oiſy*, pagorum ſeu vicorū aliquot dominio hodieq; nobilis, haud longè à Cameraco. Habuitq; ea potentes olim Toparchas, & cœnobiorū aliquot conditores. Lege ea quæ infrà à nobis de Valcellenſi Abbatia dicentur.

Anno eodem fundata eſt Abbatia *Regalis Montis*, in d. Bellouacenſi.

B. Iuetta, Incluſa, apud Huyum d. Leodienſis opidum, cùm annis aliquot ante obitū iuxtà conſuetudinem Ord. Ciſtertienſis vixiſſet, an. 1227. die 13. Ianuar. in Domino obdormit. Vitam eius ſcripſit Hugo Floreffiēſis religioſus, inſtituti Præmonſtratenſis, quā habeo manuſcriptē: exſtatque eadem in monaſterio S. Trudonis, d. Leodiēſis. Pater eius factus eſt monachus Villarienſis, vt cap. 14. dicitur. Filius eius ſenior fuit Abbas Aureæ Vallis, Ord. Ciſtertienſis, vt ex cap. 58. conſtat. Filius iunior fuit monachus cœnobij Trium Fontium, eiuſdem inſtituti; vt cap. 31. narratur. De eadem Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij.

Poun-

Digitized by Google

Poundenſe monaſterium, ſitum eſt apud Rauensburgum, vulgò *Poundum* nuncupatum: de quo ſic Bruſchius. *Huius exordia debētur pijs aliquot virginibus, quæ an. 1227. conuenientes, exſtructoq; oratorio apud Sefeldam* 1227.
vicum Acconiani Lacus, ſub cura Abbatis Salemitani primum habitarunt. Inde poſt annos ſex migrãtes, apud Puſſium montẽ, haud longè à Sulgonio Dapiferorũ VValburgenſium opido, annis etiã aliquot ſubſtiterunt, iam numero auctiores. Demùm *fautorẽ nacta Conradũ Pincernã à VVinterſteten & Dominũ in Nyſſen, an. 1241. in Poundino vico ſtabilem ſedem fixerunt, eſtq; monaſterium ab Henrico Thanenſi, Epiſcopo Conſtantienſi conſecratum. Sepulti ſunt in eo Conradus fundator cum vxore ſua Guta, & filia Irmengarde, quæ obitum mariti ſui Conradi Pincernæ, Smalnecani, hîc facta eſt monialis, & pòſt Abbatiſſa.* Ita Bruſchius in Chronologia Germaniæ.

Tria ſunt, in Flandriæ Comitatu, Virginum Ciſtertiẽſis inſtituti cœnobia, quæ *Belli Prati* gaudent nomine, ſuntq; ſingula fluuijs diuerſis adſita. De ijs pauca quædam ex ordine dicam.

Belloprątenſe monaſterium, ad Teneram, haud longè à Gerardi-Monte opido, matrona diues ac nobilis *Aleidis Boulaicenſis*, anno 1228.
1228. fundauit dotauitq;. Eſt autẽ Boularia, arx memorato opido vicina, Baronatus, vt loquuntur, hodie titulo inſignis.

Bello-

Bellopratenſe cœnobium ad Scarpum flu. olim extra muros Duacenæ vrbis ſitam, tutione, nunc loco intra muros floret. Debet id initia ſua Duacenſi Begginarum conuentui, quas inter *Frebindis* animoſior, cæteras ad monaſticum Ciſtertienſe inſtitutum amplectendum excitauit.

Eoque fine tradunt ipſam ter Romam iter inſtituiſſe, votique compotem, anno ferè
1218. milleſimo ducenteſimo decimooctauo, inde cum gaudio reuerſam.

Bellopratenſe tertium hoc nomine cœnobium, ad Liſam, inter Aëriam & Armentariam opida, conditum iacet, haud longè à Mergemo opido, quod Minariacum in Antonini Pij Itinerario nuncupari quidam exiſtimant. Galli *Meruillam* vocant, quaſi *Mauronti villam*, qui S. Amatum Senonum Epiſcopum, ab Ebroino in exilium pulſum, illic ſuo in prædio fouit, Broillenſi monaſterio excitato: quod nunc eſt illuſtre Canonicorum S. Amati collegium, Mergemo Duacum, Normannis per Belgicam graſſantibus, tranſlatum.

Roſtam ſiue Roſtenium, vulgò *Roſten*, Aloſtani agri cœnobium Iacobus Marchantius, in ſuis de Flandria commentarijs, tradit anno 1228. fundatum.

B. Arnulphus Villarienſis.

B. Arnulphus Villarienſis religioſus, cognomento *Cornibout*, prid. Kal. Iulij piè moritur,

ritur, expletis in Ordine Ciſtertienſi annis ſex & viginti. Vitam eius ſcripſit Fr. Moſcho Atrebati 1600. editam: item Goſuinus Boſſutenſis, Cantor Villarienſis, quem Moſchus fruſtra quæſiuit. Exſtat aũt apud me manuſcriptus, cum alijs varijs Beatorum vitis, ex ordine Ciſtertiẽſi. Exſtat item Gallicè apud Ioannem d'Aſsignies.

Argentonium virginum eſt cœnobium in Brabantia Gallicana. Hinc cœnobio in tractu Gemblacenſi exſtruendo inſtruẽdoque Guilielmus Haretonus & Ida, cùm pij tum opulenti coniuges, anno 1229. è Grandi Valle moniales euocarunt, & prędia cenſuſque adtribuerunt; Paruuetano Toparcha anno 1232. annuente. Huius loci moniales Abbatem Villarienſem ſolent agnoſcere Superiorem, nunc autem Alnenſem.

VValteri Brauia, virginum quoq; eſt Abbatia, ſita in Gallo-Brabantia. Nomen hoc illi datum à *VValtero* illuſtri Equite, qui ante annos amplius quadringentos cœnobium in vico hæreditario nũc cognomine, inſtituit, iam olim celebre, & Thomæ Cantipratani æuo, *ſanctarum altricem virginum integraque pietatis hoſpitium*. Diſciplinam & ædificia per hęreticos vaſtata reſtituit Ioanna VVeſſem, Abbatiſſa ex Valle Ducis, per Sereniſſ. Albertum Auſtriacum euocata. Subeſt monaſterium viſitationi Villarienſium.

Apud Ruremundam, orbem Moſæ flumini adſitam, *Gerardum* eo nomine tertium Geldriæ Comitem, monialibus inſtituti Ciſtertienſis cœnobium ædificaſſe lego. Pręfuit is ſuis annos viginti & ſeptem, obijtq; ſalutis anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo nono, hic conditus.

Fuit illi vxor pientiſsima *Richarda*, quæ marito defuncto monaſticen amplexa eſt, & loci huius Abbatiſſa, an. 1231. ipſo D. Matthæi feſto, piè obdormiuit.

Eſt & alterum Virginum in Geldria cœnobium, quod *Vallis Comitis* nuncupatur. Iſtud Otho III. cognomento Claudus Geldriæ Comes, & Philippa eius vxor, Comitis fani Sancti Pauli filia, excitarunt. Obijt Otho anno 1272. cum annos duos & quadraginta præfuiſſet: Philippa verò anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimoquinto.

B. Simon Alnenſis. Anno 1229. *Beatus Simon Alnenſis* monaſterij Conuerſus, in diœceſi Leodienſi, VIII. Idus Nouembris, multis miraculis clarus in Domino obdormit. Vitam & miracula eius deſcripſit Franciſcus Moſchus, Atrebati anno milleſimo ſexcenteſimo typis edita. Meminit eiuſdem Cæſarius libr. 3. cap. 33. & Vitriacus Hiſtor. Occid. cap. 14. ſed ſuppreſſo nomine.

Marquetta in Flãdria. *Marquetta*, ſeſquimilliari ab Inſulis ſiue Lilla, Flandriæ emporio, in vico cognomine ſita

ne ſita, nominatiſsimum eſt Virginum cœnobium: quod *à Ioanna Conſtantinopolitanâ* Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa, anno milleſimo ducẽteſimo triceſimo fundatum, tradit Meyerus in Annalibus Flandriȩ, virginibus eius inſtituti primis cùm Abbatiſſa *Bertha Molenbaiſia* ex Rameia Brabantiæ monaſterio accitis.

Eſt autem Princeps iſta, cum coniuge ſuo *Ferdinando* Luſitano, ibidem honorifico tumulo condita.

Vetuſto ac proprio nomine cœnobiũ iſtud *Reclinatorium B. Mariæ* nuncupatur: cuius, itemque *Berthæ* primæ Abbatiſſæ ex Aquiria euocatæ, Thomas Cantipratanus meminit lib. 2. Apum cap. 54.

Vallis Ducis, Virginum cœnobiũ, apud ſiluam Merdaliam, ſecundo lapide à Louanio, fert nomen & exordiũ ſuum acceptum *Henrico II.* Lotharingiæ Brabantiæq; Duci, qui, vt in Chronico MS. Villarienſi legitur, monaſterium ſe excitaturum vouerat, ſi prole maſcula ex coniuge ſuſcepta bearetur. Itaque filio auctus & voti reus, hunc locum Ciſtertienſi familiæ cum annuis vectigalibus obtulit: idque *Gregorio IX.* Pontifice Maximo, & Capitulo, vt vocant, eius ordinis generali mox placuit. *Vallis Ducis in Brabant.*

Dedit porrò inter cętera Henricus *magnã*, vt Dinter⁹ in Brabantiæ hiſtoria MS. loqui-

tur, *decimam Iſcæ ſuperioris:* quod monaſterio vicinum eſt municipium, I. Lipſi natalibus ſuperbum. Idem Dinterus narrat Henrico filiam fuiſſe *Margaritam*, hîc primùm monialem, poſtea Abbatiſſam. Obijt autem idem Dux anno 1247. apud Villarienſes honorificè cõditus. Vide Barlandum in Chronicis Ducum Brabantiæ cap. 40.

Chronographus Villarienſis tradit huius cœnobij curam (Paternitatem vulgò vocant) Villarienſibus an. 1233. commiſſam.

Thomas Cantipratanus libr. 2. Apum refert Henricum II. Brabantiæ Ducem Margaretæ filiæ ſuæ hoc monaſterium pręparaſſe, eiuſque primam Abbatiſſam *Aleydem* fuiſſe, naturali ingenio, virtute, & gratia caram. Dictæ Margaretæ tumulus ibidem viſitur in medio choro monialium. Valli Ducis *Ioanna Mudæa* Abbatiſſa nunc præeſt, Gabrielis Mudæi Iureconſulti celeberrimi à nobis in Elogijs Belgicis laudati neptis ex filio: quæ monaſterium vetuſtate collapſum quotidie inſtaurat.

Seligentalenſe monaſterium, Virginum, vulgò *Seeligental*, ſic ab Hundio deſcribitur: *Ludomia, ſiue Ludmilla, Bohemiæ Duciſſa, primũ Alberto à Pogen potentiſſimo Comiti, ſecundò Ludouico Duci Bauariæ nupta, cum marito ſuo poſteriore an. 1231. eſſet viduata, Landeshoutæ in ſuburbano cœnobium excitauit ac dotauit, ibidem*

dem honorificè condita. Ita Hundius libro citato.

Eſt & Furtencellenſe monaſterium, loco amœno ſitum in inferiori Bauaria; de quo ſic Hundius: *Cellam hanc, inter Oenum & Virſum amnes, inchoatam per Hartvvicum, Sacellanum Othonis & Henrici Ducum Bauariæ Canonicum Patauienſem, dictus Henricus inferioris Bauariæ Dux perfecit.* Ita Hundius in Metropol. Salisburgenſi.

B. Ida Niuellenſis, monialis in Rameia Brabantię monaſterio, anno Chriſti 1231. ad meliorem vitam tranſit, expletis in ordine Ciſtertienſi 26. annis & 9. menſibus. Scripſit vitam eius vir quidam religioſus, iuſſu Abbatis ſui, vt in Prologo dicitur: ſed nomen non exprimitur. Exſtat illa apud me manuſcripta, itemque in Rubræ Vallis monaſterio, apud Bruxellam, tom. 2. Hagiologi Brabantinorum. Vbi & liber Miraculorum poſt vitam eius patratorum legitur capitibus decem. De eadem agit Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij, & ad Vſuardum 29. Nouembris. *B. Ida Niuellenſis.*

Exſtat item apud me, & in Rubra Valle, vita *B. Idæ Leuuenſis*, quæ ſimiliter fuit monialis in Ramaia.

Cùm *Vallem Ducis* Henricus I. Brabantiæ Dux fundaſſet, non multò pòſt tempore ſoror eius Imperatrix, cœnobium *Binderēſe* *Binderſe, circa ann. 1231.*

apud Helmondam Brabantiæ opidum excitauit, quod Villarienſiũ curæ pariter eſt cõmiſſum, temporibus Arnulfi XIII. Abbatis.

Huius loci moniales liberius viuentes *Dionyſius Zeuerdonchus* Abbas Villarienſis XLIIII. in ordinem redegit; adiuuante *Maria* Hungarica, Caroli V. Imperatoris ſorore, Belgarum gubernatrice, & noua Abbatiſſá cum monialibus ex Valle Ducis ad Binderenſis monaſterij regimen euocata; vt in Chronico Villarienſi fuſiùs narratur.

Grande Pratum. Ad *Grandipratenſe* monaſterium, ſecundo miliari à Namurco, excitandum, monachi duodecim cum Abbate XIII. ex Villario à
1231. *Gulielmo* Abbate XI. anno 1231. miſſi ſunt. Quibus Namurco appopinquantibus, clerus Namurcenſis cum populo, inſtituta proceſſione, occurrit, magnaque ipſos deuotione ſuſcepit, & ad Grandis Prati locum deduxit. Sic in Chronico manuſcripto Villarienſi legitur.

Iacobus de Pecoraria, Papienſis, ex Abbate S. Anaſtaſij ad Aquas Saluias extra Vrbem à Gregorio IX. creatur Cardinalis & Epiſcopus Præneſtinus, fundauit in diœceſi ſua cœnobium monialium S. Petri Paliani. Obijt Romæ 1244.

Anno 1232. à D. Godefrido Præpoſito Collegiatæ Eccleſiæ, quæ eſt Monaſterij in Eyfflia, conſtructum eſt monaſterium monia-

nia-

nialium in Bottenbroich, duorum miliarum ſpatio à Colonia, in Nemore, quod vulgò Villia vocatur, loco amœno & ſalubri.

Anno eodem moniales *Vallis Virginum* ex Flobeca Aldenardam, Flandriæ opidum, migrarunt, in quo hodieque reſident. *Vallis Virgin.*

Fulco ex monacho Grandis-Siluæ Archiepiſcopus Toloſanus, cum annis 28. acerrimè contra Albigenſium hæreſim concionatus fuiſſet, in Domino obdormit, ſuo in monaſterio conditus.

Anno 1233. *Aulam Dei*, alio nomine, *Monaſterium Nouum*, apud Snecam Friſiæ opidum, *Vlboldus*, vir diues, ære ſuo proprio fundauit, inſtinctu *Dodonis* Abbatis quarti Veteris monaſterij, qui ad hunc locum ex monaſterio Syon moniales & conuerſas deduxit, vt ex S. Bernardi inſtituto vitam ibi regularem inchoarent. Vlboldus autem poſtmodum factus eſt Conuerſus, vt vocant, in Veteri monaſterio, ibique vitam in ſumma auctoritate finiuit. Sic Andreas Cornelius in Friſiæ Chronicis.

Corduba vrbe per Ferdinandum Regem Mauris ereptâ, Lupus Fiterij ad Piſoricam Abbas, fit illius ciuitatis Epiſcopus: teſte Mariana lib. 12. cap. 18.

Anno eodem fundatæ ſunt duæ Abbatiæ in Hungaria, nimirum *Honeſta Vallis*, &

Trium Fontium. Quo anno fundatæ fuerint Abbatiæ S.Gothardi Sami, Peliſeum, de Bellis fontibus, Mons S.Mariæ, & aliæ eiuſdem regni nondum comperi.

Cœnobium Sartenſe, vel Salcetenſe Virginum, vulgò *de Sart*, in d.Tornacenſi fundatum lego.

Bina Virginum huius inſtituti cœnobia, alterum in vrbe, alterum ad muros vrbis Vltraiectinæ, olim floruiſſe lego.

S.Seruatij monaſterium ex Villa Abſtedenſi in vrbem tranſtulit, dotauitque *VVillibrandus Oldenborchius* Antiſtes Vltraiectinus;
ANNO 1233. ibidem magnifico poſtea tumulo conditus. Alij dicunt tranſlationem factam per Othonem Epiſcopum, ex familia Comitum Lippienſium.

Alterius cœnobij, quod *Vallem B.Mariæ Virginis* nuncupant, exordia anno 1245. cœpiſſe cõperio, ſub Henrico X. Veteris Campi Abbate, quod anno 1481. grauiſsimis damnis affectũ eſt Maximiliano, poſteà Imp. Vltraiectum obſidente & oppugnante.

Heppachium, olim dictum *Heckenbachiũ*, in diœceſi Conſtantienſi ſitum: de quo ſic Bruſchius: *Subeſt hoc monaſterium viſitationi Abbatis Salernitani, medio ferè itinere inter Ochſenhuſam cœnobium & Biberacum oppidum imperiale ſitum. Eſt autem incboatum anno circiter 1233. à pijs ac religioſis duabus Begginis, quarum*

rum vna ex nobili familia Roſenburgenſi, altera ex Laudenburgenſi fuit nata. Ad has mox alia plurima acceſſerunt atque inter eas quinque nobiles, quarum parentes ipſis domicilia exſtruxerunt. Priuilegia dederunt Gregorius IX. Pontif. Max. & Fredericus II. Imp. & vixêre olim hoc in cœnobio centum & viginti Virgines.

Cùm autem Guilielmo Imp. defuncto tota ferè Germania bellis ciuilibus æſtuaret, & hoc cœnobium vaſtatum eſt, virgineſqúe ob paupertatem ad parentes ſuos redire coactæ. Sed viginti poſt annos, pacato imperij ſtatu; Rodulfi Habſpurgij, Imp. beneficio, priſtinum in locum reſtitutæ, collapſum cœnobium, auxiliantibus regulis à Bonſtetten, à Freyburg, VVyler & Ellerbach, itemq; Dapiferorum VValpurgenſium aliorumq; (quorum hic ſepulcra viſuntur) præclarè inſtaurarũt. Ita Bruſchius in Chronologia monaſt. German. *Rudolfus I inſtaurator.*

Anno 1234. ſtudio & impenſis VVenceſlai Rugiæ Principis conſtructus eſt Nouus Campus in Suerinenſi Epiſcopatu, qui ſicut multis annis inſigniter claruit, ſic anno 1534. miſerè Abbate & fratribus nudatus eſt, inuadentibus, ſcilicet Lutheranis Principibus res Eccleſiaſticas, idque iuxta Euangelium, ſi placet credere. *Nouus Campus.*

Eodem anno Via cœli in Duyſſeren à ciue quodam Duisburgenſi pro Monialibus ſtrata eſt & conſtructa. Author Ioannes

Ditmarus in Catalogo Abbatum Campenſium.

Vallis S. Bernardi, & Rotthemium, Virginum cœnobia, in agro Diſtemienſi apud Brabantos ſita ſunt. Prius quidem anno 1235. ab *Arnoldo* Diſthemij Toparcha; Gregorio Pontif. Maxi. & Henrico Duce noſtro adprobantibus.

Alterum à tenuibus, vt fit, initijs paulatim creuit, & vix conditorem ſuum nouit.

Anno 1335. fundata eſt Abbatia S. Saluatoris, in d. Senonenſi.

Anno 1237. fundata eſt Abbatia *Belli loci*, in Cypro.

VVelueren. Anno 1238. exſtructum eſt monaſterium in VVelueren, Germanicum miliare à Suſato VVeſtphaliæ vrbe diſtans, quod opera D. Hermanni Archiepiſ. Colonienſ. an. 1493. reformatum eſt.

Sterckraie. Item Riuulus S. Mariȩ in Sterckraidt, ſumptibus Machtildis Dominæ in Holt.

S. Bernardi Abbatia apud Antuerpiam. In Brabantia celebris eſt Abbatia *S. Bernardi* nomine illuſtris, ad Scaldim fluuium ſecundo lapide ab Antvverpia loco amȩniſſimo ſita: quæ in antiquis monumētis *Locus S. Bernardi* propriè nuncupatur. Fuit iſtud monaſterium anno 1238. primò excitatum in pago *Vremde* apud Liram Brabantiæ opidū: quod inde ad ripam Scaldis fluuij & ad pagum

gum *Hemixen* circa annum 1245. eſt tranſlatum. Fundatores habentur *Barones Grimbergani*, cognomento *Bertautij*, qui non modò Grimbergæ, ſed & Machliniæ, aliorumque plurium in Brabantia locorũ olim Domini fuêre. In Catalogo & hiſtoria manuſcripta Abbatum Villarienſium, diſertè notatur, dictam Abbatiam anno 1238. eſſe fundatam: primisq; monachis ex Villario aduenientibus; quibus Dux Brabantiæ obuiam proceſsit. Sunt qui dicunt fundatorem fuiſſe *AEgidium Bertautium*, qui fuit fundator Abbatiæ virginum in Roſendalia: de qua ſuprà anno 1220.

Groningenſe cœnobium, apud Curtracum Flandriæ opidum, fuit primò in *Marka* (qui locus Curtraco diſtat miliari ferè vno) à *Ioanna & Agnete*, Gualteri Rodenburgij, (viri nobiliſsimi, quique Balduino Flandrię Comiti & Imperatori Conſtantinopolitano à Secretis, vt arbitror, fuit) filiabus ædificatum; indeque poſt in locum ſuburbanum commodiorem tranſmotum, per *Beatricem* Henrici II. Brabantię Ducis Filiam, & Guilielmi Dampetri, ad Flandriæ principatum à matre Margaretha Conſtantinopolitana deſtinati, viduam.

De his rebus ita Meyerus in Annalibus: anno 1239. *Ioanna & Agnes filia Gualteri Roden-*

Rodenburgenſis, protonotarij Balduini Conſtantinopolitani, parthenonem inchoarunt Veſtalium Ciſtertienſium in fundo ſuo apud Markas, tranſlatum poſtea Curtracum, vocatumq́; Groeninghe.

Anno CIↃ. CCLXXXV. *Curtraci extra murum fundatum monaſterium Groningenſe, ab Beatrice vidua Gulielmi Principis occiſi Traziniaci.*

Beatrix porrò moriens in Groningenſi hoc cœnobio eſt ſepulta.

Cæterùm Maſſæus in Chronicis ſuis, ait cœnobium iſtud à Margareta Conſtantinopolitana, Flandriæ Comitiſſa, conſtructum; quòd ipſa fortaſſè Beatricem filij ſui viduam opibus iuuerit.

Oliua, Virginũ in Hannonia.

Monaſterium S. Mariæ de *Oliua*, quod eſt monialium, inter Binchium Hannoniæ & Niuellam Brabantiæ opidum, auctorem habuit quendam eremitam, natione Brabantum: vt Guiſius in MS. Hannoniæ Chronicis teſtatur. Fuit is Eremita ſanctæ admodum conuerſationis, & poſtmodum ſacerdos *à Ioanne Bethunio*, Cameracenſi Epiſcopo, ordinatus: qui motus ſanctitate monialium Fontinellẽſium, ijs ipſis baſilicam piorum eleemoſynis à ſe exſtructam, locumq́ue ſibi *à Berta*, illius tractus Domina, donatum, tradidit incolendum. Solentq́ue moniales Oliuetanæ Abbati Claravallenſi immediatè ſubeſſe.

Obijt

Obijt autem Eremita iſte anno milleſi- 1240.
mo ducenteſimo quadrageſimo, vt in tumulo eius legitur. Hactenus ex Hannonicis Iacobi Guiſiani chronicis.

In huius cœnobij templo olim viſi ſolet tumulus, duarum matronarum figuras in marmore repræſentans. Aiunt autem fuiſſe monumentum nobiliſsimi Equitis *AEgidij* Baronis *Traſigniaci*, & *Mariæ*, filiæ Comitis Oſtrouandiæ; legitimæ eius coniugis, itemque *Gratianæ*, quam Sultani Babylonij filiam fuiſſe aiunt, quamque Sultano in Aſia AEgidius militans ſibi iunxerat, cùm *Mariam* cõiugem defunctam eſſe (ſed falsò, vt poſteà compertum) intellexiſſet. Itaque cùm AEgidius ex Aſia in patriam, Gratiana comitante, redijſſet, & Mariam adhuc ſuperſtitem reperiſſet, tradunt vtramque matronam, communi conſenſu, Deo ſeſe in hoc Oliuetano cœnobio obtuliſſe, ibidemq; obijſſe; AEgidium verò in Camberonenſi cœnobio, monachum ſeu Conuerſum, vt loquuntur, factum; poſteà tamen iterum à Suldano Babylonio ad militiam in Aſiam euocatum, ibidemque defunctum; cor autem ipſius ad hoc cœnobium ex Aſia, vti petierat, eſſe tranſmiſſum. Exſtat de his rebus ſiue hiſtoria ſiue fabula, quam ex Italico idiomate quidam Gallicè reddidit, & *Philippo Bono*, Burgundiæ ac Brabantiæ Duci inſcripſit. hanc idem ſiue

alius

alius Latinam fecit, quæ in Cartuſia Bruxellenſi exſtat manuſcripta.

Cæterùm cùm ex huius loci monialibus de dicto tumulo corã inquireremus; reſponſum nobis eſt, illum à Francis, vnà cum templo, vaſtatum ſæculo ſuperiore fuiſſe.

Eſt autem Oliuæ monaſterium ſitum apud Mariæ-Montem, ſic dictum à Maria Hungariæ Regina, Caroli Quinti Imper. ſorore, qui eò loci arcem amœniſsimam exſtruxit, ad venationes exercendas. Parcum ſeu viridarium ferarum Sereniſsimus ALBERTVS Auſtrius ſepto concluſit

Boneffia. *Boneffienſe* monaſterium in Comitatu Namurcenſi anno 1240. in vſum monialium eſt excitatum, & anno 1245. ab *Innocentio IIII.* Pontifice confirmatum anno autem 1263. à *Guidone* Comite Namurcenſi primum in noui ædificij fundamentis ſaxum eſt collocatum. Anno 1461. mandato Capituli generalis Ciſtertienſis, & vxoris Philippi Boni Burgundię Belgijque Principis hortatu, virgines eius loci per Iardinetanum & Molinenſem Abbates in ordinem ſunt redactæ. Itaque cedente Abbatiſſa, & monialibus ad varia cœnobia dimiſsis, monachi ſunt introducti; primuſque illis Abbas datus, *Petrus Multorius* Aloſtanus, qui nono præfecturæ anno è vita deceſsit, anno 1470. Ex eius loci archiuis hæc habeto.

De

Digitized by Google

De *Gerkenſis* in Friſia cœnobij auctore ſic Andreas Cornelius in Friſiæ Chronicis: anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo, apud Friſios vir quidã diues ac nobilis, nomine *Gerko* florebat, qui nõ haberet liberos, ad honorem Dei monaſterium ædificauit, in quo Abbas Clarocampenſis; ipſo petente, monachos, tàm ſacerdotes, quàm laicos, vt vocant, conſtituit, qui diuinum ibi officium inchoarent. Primus eius loci Abbas fuit *VVibrandus*, monachus Clarocampenſis, eſtque à Gerkone fundatore cœnobium iſtud *Gerkenſe* nuncupatum. Hactenus ille. *Gerken* in *Friſia.* 1240.

B. Mariæ monaſterium, vulgò *Nonnarum monaſterium*, in ſuburbano VVormacienſi à Ludouico Pio Imp. Caroli Magni filio anno 840. fuit olim virginum Ord. S. Benedicti. Quæ cùm licentiùs viuerẽt, Ludolfus VVormacienſis Epiſc anno 1240. reformationem Ciſtertienſem induxit, ibidem in choro ſepultus. Ita Bruſchius.

AEgidius monachus Aureæ Vallis, in diœceſi Treuerenſi & Ducatu Luxemburgenſi, floret: qui ſcripſit Geſta Epiſcoporum Leodienſium, edita Leodij an. 1612. Ex eodem nos deſumpſimus vitam S. Alberti Epiſcopi Leodienſis & martyris, Antuerpiæ in fol. editam.

S. Edmundus Archiepiſcopus Cantuarienſ. an. 1246. alijs 1240. in Domino moritur, & Ponti-

Pontiniaci ſepelitur, Romano Martyrologio ad diem 16. Nouembris adſcriptus, & ab Innocentio IV. in Diuos relatus. Exſtat vita eius apud Surium ex diuerſis collecta.

Anno 1241. in Ducatu Cliuenſi iuxtà Reſam aptiſsimo loco conſtructum eſt cœnobium pro ſacris Virginibus cuius nomen *Sleidenhorſt*, quod ſtudio & opera Illuſtriſsimæ D. Catherinæ, Adolphi Cliuiæ Ducis germanæ anno 1459. reformatum eſt per introductas Colonia, Speculo B. Virg. vulgò Seyen moniales.

Sleidenhorſt.

Schonenfeldia inferior, virginum illuſtre apud Bauaros monaſteriũ hoc anno in Schonenfeld ædificatur, non longè ab oſtijs Lici, cùm antea in *Burchaim* fuiſſet inchoatum. Fundatores fuére Bertholdus II. Comes à Graifſpach, & vxor eius Adelhaidis: teſte Hundio.

Anno 1244. Iacobus Vitriacus Aconenſis Epiſcopus in Syria, & S. R. E. Cardinalis moritur: qui in ſua Occidentali hiſtoria, capitibus 14. 15. 17. & 19. multa habet de Ciſtertienſibus lectu digniſsima: quæ ad Chronici noſtri illuſtrationem viſum hîc fuit ſubnectere.

Iacobi Vitriaci teſtimonium de Ciſtercienſibus.

Cùm à priſcis temporibus in partibus occidentis duæ tantùm fuiſſent regularium diuerſitates, *monachi* ſcilic. *nigri S. Benedicti* regulam profitentes, & *Canonici albi* ſecundum regu-

regulam *B. Auguſtini* viuentes, poſtquam peccatis exigentibus primò modica negligentes paululùm cadere cœperunt, tandem ad tantam diſſolutionem plures regulariū conuentus deuenerunt, quòd viri timorati & prudentes, ſub alio habitu & alijs inſtitutis Domino militaturi ab ipſis receſſerunt, ſicut ſcriptum eſt: *fugite de medio Babylonis: ſaluet vnuſquiſque animam ſuam: qui enim tetigerit morticinium immundus erit, & qui tetigerit picem coinquinabitur ab ea. Corrumpunt enim bonos mores conſortia & colloquia praua.* *Ierem 51.* *Leuit. 11.* *Eccl. 13.* *1. Cor. 15.*

DE CISTERCIENSIBVS.

PRIMI igitur Ciſtertienſes nigrum habitum in griſeum commutantes, vetera reformare & noua ſuperaddere ſtuduerunt, non ſolùm à ſe ſuperflua reſecātes, ſed à multis licitis arctiùs abſtinendo, *carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs crucifixerunt, corpus ſuum caſtigantes, & in ſeruitutem redigentes.* *Gal. 5.* *1. Cor. 9.* Pellibus ſiquidem & camiſijs non vtuntur, neque femoralibus, niſi fortè cum neceſſe fuerit ipſos equitare: Carnes autem niſi in graui infirmitate non manducant. Piſcibus, ouis, lacte & caſeo non veſcuntur communiter, quandoque tamen, licet rarò, pietatis & reuelationis intuitu, pro pitantijs & ſummis delitijs his vtuntur. Fratres eorum in grangijs & manſionibus extra Abbatiam *Ciſtertienſiū vetus abſtinentia.*

vinum non bibunt: habent autem tam monachi quàm alij fratres lectos ex ſtramine & ſagis mediocriter duros, nec mollitie pigros, nec ornatu delicatos, in quibus cùm tunica & cuculla veſtiti iacent. Media autem nocte ſurgentes in pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus, iubilando, & Dominum laudando, vſque ad lucis auroram perſeuerant, & tunc Primam horam & Miſſam alacriter in Dei laudem explentes, poſtquàm in capitulo per verba & verbera à peccatis fuerint expiati, reſiduum diei in labore manuum ſuarum, & lectione & orationibus, non otioſi aut deſides tranſcurrunt. Silentium autem per totum ferè diem obſeruantes, mutuis collocutionibus & collationibus ſpiritualibus vnam ſibi horam reſeruant inuicem conſolantes, & inuicem inſtruentes. A feſto Sanctæ Crucis in Septembri (in quo omnibus congregatis Abbatibus capitulum generale Ciſtertij celebrant) vſque ad Paſcha ſemel in die manducant. Singulis autem annis per vniuerſas Abbatias mittunt Viſitatores, tàm in capite, quàm in membris, abſque perſonarum acceptione, quæ corrigenda ſunt corrigentes, neminem palpantes, nulli adulantes, ſed diſtrictione & ſeueritate ordinis exigẽte euellunt, & deſtruunt, diſperdunt, & diſsipant, ædificant & plantant, ſecundùm quod viderint

Capitulũ generale.

rint

ſint expedire : & præcipuè propter hoc in virtute & veritate eorum religio perſeuerat. Modeſtiam autẽ in omnibus ſectantes, corporibus ſuis valdè diſtricti ſunt & auſteri. Pauperibus autem & hoſpitalibus ſua liberaliter exponunt, *tanquam boues de armento Domini paleam manducantes*, grana ſuperuenientibus reſeruabant. Foris non manſit peregrinus: & oſtiũ eorum viatoribus patuit. *Buccellam ſuã non comederunt ſoli, & benedixerunt eis pauperum latera de velleribus ouium ſuarum calefacta.* Fama autem & opinione ſanctitatis eorũ quaſi ex odore vnguenti adeò repleta eſt tota domus Eccleſiæ IESV Chriſti, quod non eſt prouincia vel regio, ad quã vinea illa benedicta palmites ſuos non extenderit. Dilatauit Dominus & beata eorum patrona Virgo MARIA (cui vnanimiter & vno humero vbiq; deuotiſsimè inſeruiũt) locum tentorij eorum, & non ſolùm vſq; ad mare, ſed etiã vltrà mare propagines ipſorũ protendit: vt iam per experientiam in ſe cõpletum agnouerint; quòd ait Dominus in Euãgelio: *Centuplum accipient in hoc ſæculo, & vitam æternã in futuro*. Suſcitauit autem Dominus eis à principio nouellæ plantationis eorum, Agricolam peritum, prudentem & ſanctũ virũ, quem inuenit Dominus ſecundũ cor ſuum in omni domo ſua fideliſsimum, & operarium in vinea ſua diligentem, & ſtu-

Eſai. 65.
Iob. 31.
Eſai. 54.
Matt. 10.
Matt. 19.
Marc. 10.
Num. 12.
Matth 13.

Lucæ 12. dioſum, qui vniuerſæ familiæ Domini de theſauro ſuo noua proferens & vetera, erogaret tritici menſuram,& daret illi cibum in tempore, ſanctum videlicet *Bernardum* Clarævallis Abbatem, totius religionis probatiſsimam margaritam, lucernam ordinis, & ſtellam in firmamento Eccleſiæ Dei radiantem, qui non ab homine, neq; per hominem, ſed ſola Dei inſpiratione, præeminentem ſanctarum Scripturarum accepit intelligentiam,& quaſi de ipſo Dominici pectoris fonte potauit cœleſtes aquas, quas diffunderet in plateis multis. Et quoniam potens fuit in opere & ſermone, exemplo ſanctæ & præeminentis conuerſationis, & doctrinæ cœleſtis prædicationis, ſed & virtute miraculorum & mirabilium operum multis factus eſt odor vitæ in vitam, qui relictis fallacibus mundi blanditijs tranſierunt ad religionem, aſperum & ponderoſum mūdi huius iugum ſuauiſsimo Ciſtertienſis ordinis iugo, permutantes. Quod enim impoſsibile hominibus, poſsibile & facile eſt Deo. Multos enim vidimus nobiles & delicatos in ſæculo cibos carnales quantumcunque curioſè & ſumptuoſè paratos faſtidientes, ægrotatiuos, & debiles; qui poſtquam arctam & arduam prędictæ religionis aggreſsi ſunt viam, in ieiunijs & vigilijs, in frigore & fame, & paupertate, Domino ſeruientes, aridis & inſipidis veſ-

S. Bernardi laus.

Gal. 1.

Prou. 5.

Luc. 24.

2. Cor. 2.

Matth. 9.

veſcentes cibarijs, recuperabant ſanitatem. vnde cùm quadam die frater quidam, qui Phyſicus probatus & nominatus fuerat, in ſæculo communes cibos ordinis quaſi complexioni ſuæ contrarios reſpueret, & alijs fratribus materia ſcandali ſingularis effectus fuiſſet, ſequenti nocte vidit in ſomnis beatam Ciſtertienſis ordinis aduocatam virginem MARIAM, ſingulis fratribus quaſi in proceſsione tranſeuntibus in cochleari argenteo & pyxide aurea electuarium tribuentem.

Cùm autem ad prædictum Phyſicum peruentum fuiſſet, & ipſe os ſuum medicinæ porrigeret, beata Virgo manum retrahens, quaſi indignando & increpando, dixit illi: *Medice cura teipſum*. Multi ſiquidem viri *Luca 4.* ſancti à primordijs & prima inſtitutione Ciſtertienſis ordinis varijs chariſmatum donis, præter communem religionis obſeruantiam, vſque ad tempora noſtra inter cæteros *Matth. 5.* præeminentes, licet latere & abſcondi ſub modio habuiſſent in affectu; à Domino tamen manifeſti ſuper candelabrũ poſiti ſunt in effectu. Alij ſermone prædicationis, & gratia ædificationis præpotentes; alij virtute miraculorum & gratia curationum inſignes, alij ſpiritum prophetiæ diuinis illuminati reuelationibus habentes, alij virtute abſtinentiæ, & ieiuniorum humanæ poſsibili-

tatis menſuram excedentes, alij in orationibus & pſalmodijs, & laudibus diuinis tanquam à Domino conſecuti ſunt gratiam & deuotionis ſuauitatem, muſcas morientes, & importunas cogitationes à ſe penitus abigentes, quod in fine nocturni & matutini officij, ſicut adipe & pinguedine vſque ad ſummum repleti, vellent ſi eſſet poſsibile tẽpore nocturno reuertente, rurſus iteratum officium inchoare. Vidimus *fratrem quendam mirabilem* à Domino gratiam conſecutũ: dum enim aliquis peccata ſua confiteri noluiſſet, Deus illi peccata, quæ non erant per confeſſionem detecta, reuelabat, vt ad confitendum induceret peccatores.

Eccl.10.

Per fratrem quendam mirabilem *Vitriacus intelligit* B. Simonem Alnenſem, *qui an. 1229. obijt. Exſtat vita eius Atrebabi an. 1600. per Franciſcum Maſchum edita.*

DE MONIALIBVS CISTERtienſibus.

Vitriaci teſtimonium de monialib. Ciſtert.

A Principio autem ordinis fęminarum ſexus fragilior ad tantæ diſtrictionis ſeueritatem & perfectionis cacumen aſpirare non audebat. Nam & viris fortioribus niſi eos Deus confortaret, tantum pondus valdè graue & pœnè intolerabile videbatur. Poſteà verò deuotæ Deo virgines & ſanctæ mulieręs feruore ſpiritus & deſiderio fœmineum

neum animum exuentes, euadentes mundi naufragium, ad tranquillum Ciſtertienſis ordinis portum aſſumpto regulariter habitu tranſierunt. Alijs enim monialium congregationibus, propter nimiam vitæ diſſolutionem, ſecurè ſeſe committere non audebant. Ad tantam enim corruptionem & defectum clauſtrales mulieres vbique ferè deuenerant, quod ad eas tutum refugium non habebant. Quantum enim periculoſum ſit & difficile inter impudicas caſtitatem conſeruare, nemo dubitat, qui talium mulierum mille artes & maleficia non ignorat. Sed & paſſim & publicè pro miſerabili monaſteriorum ingreſſu pecuniam exigebant, allegantes ſuam paupertatem & de ſimoniæ crimine peſſimo non curantes, domum orationis in forum negotiationis conuertebant. Sed & proprium omnes ferè retinere non timebant, cum Anania & Saphyra à Domino reprobatæ. Act. 5.

Poſtquàm autem *Pramonſtratenſis* ordinis viri timorati & religioſi, ſapienter attendentes, & familiari exemplo experti, quàm graue ſit & periculoſum ipſos cuſtodes cuſtodire, in domibus ordinis fœminas iam de cætero non recipere decreuerunt: multiplicata eſt ſicut ſtellæ cœli, & excreuit in immenſum Ciſtertienſis ordinis religio

ſanctimonialium, benedicente Domino & dicente eis; *Creſcite & multiplicamini, & implete domum*. Fundabantur cœnobia, ædificabantur monaſteria, replebantur clauſtra, cõfluebant virgines, currebant viduę & mulieres coniugatæ de conſenſu maritorũ ſuorum carnale matrimonium in ſpirituale cõmutabant. Ex alijs monaſterijs moniales, mutato habitu, ad fructum melioris vitæ, & arctioris viæ aduolabant. Matronæ nobiles & potentes in ſæculo, relictis hæreditatibus terrenis, & immenſis poteſtatibus præeligebant *abiectæ eſſe in domo Domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*. Illuſtris proſapiæ virgines oblata matrimonia contemnentes, relictis ingenuis parentibus, & blandientis ſæculi delicijs, proiectis ornamentis & veſtibus pretioſis, Chriſto ſponſo virginum iungebantur paupertate & humilitate; & vitæ durioris aſperitate Domino deuotiſsimè ſeruientes, temporales diuitias & fallaces delicias pro ſpiritualibus ſapienter permutantes. Vt enim de alijs huius ordinis monaſterijs & congregationibus ſanctimonialium, quæ in locis alijs paſsim ædificabantur, taceamus; in vna diœceſis Leodiẽſis regione, ſeptem huius ordinis & profeſsionis Abbatias monialium in tempore modico fundari & conſtrui vidimus, & ſanctis monialibus tanquam lilijs & violis exornari.

Gen. 1.

Pſal. 83.

In diœceſi Leodicẽſi 7. Abbatiæ monialium Ciſter. ſunt ædificatæ, temporibus Vitriaci.

ornari. Adeò autem ſanctis & deuotis Virginibus abundat prędicta Deo amabilis prouincia, tanquam hortus liliorum & paradiſus deliciarum, quod pro certo credimus, & in veritate comperimus, ſi triplo plures eſſent in partibus illis, huiuſmodi nō deeſſent lilia, ſed prompto animo, & ardenti deſiderio in holocauſtum pinguedinis & odorem ſuauitatis ſeſe offerrent piè & deuotæ virgines Domino, regnum mundi & omnem ornatum eius contemnentes, propter amorem Domini noſtri IESV Chriſti, vt tranquilla deuotione Domino ſeruientes, ſæculi pereuntis euadentes incendia ad tabernaculum fœderis confugerent, vt eſſet eis, ſecundùm Iſaiæ verbum, in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem & abſcōſionem à turbine & à pluuia. Non ſolùm autem in partibus Occidentis, ſed in Orientalibus prouincijs, in *Conſtantinopoli* & *Cypro*, & *Antiochia* & *Tripoli* & *Acon*, nouis eiuſdem ordinis conſtructis fœminarum monaſterijs, prædicta Domini vinea propagines benedictionis extendit.

Eccl. 24.

Monialiū cœnobia in Oriēte.

DE MONACHIS VALLIS COLlium, alijs Caulium.

SVNT alij fratres in Epiſcopatu Lingonenſi, monachi Deo amabiles & valdè religioſi, qui de *Valle Callium* nominantur. Hi *Ciſtertienſis* Ordinis inſtituta victu & veſti-

Ex Vitriaco cap. 17. hiſtor. Occid.

Digitized by Google

veſtitu & diuinis officijs,& in omnibus alijs ſtrictè & diligéter obſeruant, excepto quòd cellulas modicas, cauſa maioris tranquillitatis & pacis,ſibi conſtruxerunt, vt in eis tempore meditationis,lectionis,orationis,tantò deuotiùs,quantò ſecretiùs,clauſo ſenſualitatis oſtio,intra cubiculum ſuũ ſoli Deo vacare queant. Adeò aũt ab omni exterioris curæ præputio corda ſua circuncidere ſtuduerũt, quod nec greges,nec armenta,nec terras arabiles,nec alias habent poſſeſsiones, nec temporalibus occupati ſollicitudinibus & curis huius ſæculi ab intentione ſpiritualium retardentur. Præfixerunt autem extra ſepta monaſterij ſui terminos, quos non licet eis euagando præterire. Solus autem *Prior* cum aliquo de fratribus ſuis, vt ſubiecta ſibi viſitet monaſteria, vel alia neceſſaria cauſa poteſt exigere: reliquis ſimplicibus fratribus
Gen.25. in domo velut Iacob commorantibus. Habent autem infrà terminos ſuos hortos olerum & arborum, ad quos excolendos certis & conſtitutis horis egrediuntur, vt manducent labores manuum ſuarum. Sed & certos poſsident reditus, quos abſque magno labore ad vſus neceſſarios annuatim recipiunt. Ne autem aliqua egeſtatis moleſtia ſpiritus à curſu ſuo retardetur,vel neceſsitate cogéte oporteat ipſos médicare,aut manibus alienis inhiare, nó plures in cógregatióe

ſua

ſua recipiunt, quàm de reditibus ſuis medio-
criter valeāt procurare. Et quoniam ſcriptū
eſt, *nemo militans Deo implicat ſe ſecularibus* 2. *Tim.* 2.
negotÿs, quàm prudenter & prouidè prædi-
cti *Vallis Callium* monachi cōſuluerunt ſaluti
animæ ſuæ, vt liberè poſſent diuinorū con-
templationi vacare, norunt melius per ex-
perientiam illi, qui ad exteriorum venatio-
nem frequenter exeuntes amiſerunt benedi- *Gen.* 27.
ctionē cum Eſau: ſic ſtulti vt cum ſpiritu ce- *ad Gal.* 3.
perant, carne non ſolum cōſumment, ſed in-
ſuper cōſumantur: qui negotiationē & quæ-
ſtum pietatem æſtimantes, dum monaſteria 1. *Tim.* 6.
ſua poſſeſsionibus ampliare modis omnibus
ſatagunt, non ſapienter illud Euangelicum
attendunt: *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum* *Matt.* 19.
mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentū
patiatur? Exiuit Semei de Hieruſalem per 3. *Reg.* 2.
cupiditatem, & à Salomone interfectus eſt.
Exiuit Dina filia Iacob per curioſitatem de *Gen.* 23.
domo patris ſui, & à Sichen iuuene impudi-
co corrupta eſt. Exiuit filius prodigus per lu- *Luc.* 13.
xuriam, & portionē ſubſtantiæ ſuæ luxurio-
sè cōſumens, ſiliquis porcorum, quos paſce-
bat, ſaturari non valebat. Prædicti aūt fratres
circūſpecti, & prudentes infrà terminos ſuos
cautè recluduntur, ne vento ſtrepitus ſecula-
ris lucerna eorū extinguatur, omnē à ſe mur-
muris occaſionem & ambitionis materiā re-
ſcindentes, dū alter alteri nō inuidet, nec aliū
ſe con-

ſe contempto ſibi in temporalium admini-ſtratione præpoſitum dolet.

De familia monachorum Vallis Caulium agit & Arnold. Vionus, Ligni vitæ lib. 1. c. 50. & Barth. Chaſſanæus, in Catal. Gl. Mundi, parte 4. conſid. 58.

DE FRATRIBVS ET MONAchis Grandiſ-Montis.

Ex Vitriaco c. 19 hiſtor. Occid.

EST altera fratrum religio ſeu regularis inſtitutio, quæ de *Grandi-Monte* nominatur, quorum caput & originale monaſterium in partibus eſt Aquitaniæ. Hi ſiquidem Grandiſ-Montis fratres à principio ordinis prudenter inſtituerunt, quod monachi ſpiritualibus & diuinis officijs tantummodò intenderent, temporalium adminiſtratione & prouidentia laicis fratribus credita & relicta. Regulam autem & inſtituta *Ciſtertienſis* ordinis in alijs omnibus pœnè obſeruant, excepto quod nunquam carnes, poſtquam profeſsionem fecerunt, de cætero licet eis manducare, quantacunque ægritudine prægrauentur. Silentium inſuper in Eccleſia, quamdiu diuinis interſunt officijs, & in refectorio & in dormitorio tantum obſeruantes, in alijs locis & cæteris horis quandocunque placuerit, loqui poſſunt, inuicem inſtruentes, & mutuò conſolantes, ſecundũ quod Dominus eis inſpirauerit. Adeò autem mona-

monaſteriorum ſuorum ſepta clauſis ſemper oſtijs diligenter obſeruare ſtudent, quod nō niſi magnis & authenticis perſonis & familiaribus ordinis facilè patet ingreſſus: nec ita clauſtrum ſuū & interiora habitationis ſuæ exponunt hoſpitalibus, ſicut *Ciſtertienſes*, & alij regulares. Habent vnum ſummum *Priorem*, qui licet nullam temporaliū habeat adminiſtrationem, tantum coram eo ſemel in anno laici omnes in generali Capitulo, & qui propè in eadem regione commorantur, ſemel in menſe, villicationis ſuæ tenentur reddere rationem. Habet inſuper poteſtatem mittere monachum vnum cum laico ad totius ordinis monaſteriorum viſitationem. Licet autem monachis & viris ſpiritualibus videatur expedire temporalium adminiſtrationem ſeu qualecunque dominium non habere, vt tanto tranquillius ſpiritualibus vacare valeant, quanto de temporalibus non cogitant; inimicus tamen humani generis & totius religionis callidus impugnator, tàm ſanctis, quàm & ſalutaribus inuidens inſtitutis, hac occaſione murmur valdè pernicioſum, ſeditionem & ſcandalum aliquando ſuſcitauit inter clericos, & laicos, monachos & conuerſos prædicti monaſterij Grandiſ-Montis. Videbatur enim monachis, quod in omnibus præeſſe debuiſſent, laicis non ſubeſſe; quemadmodum fit in alijs religionum

Inter clericos & laicos Grandimontenſes quæſtio.

num

num congregationibus, qui capitella non baſes in ſummo culminis conſueuerant ponere.

Addebant inſuper, quòd eos laici contemnebant, & eis dominari nõ ſolum in temporalibus, ſed plerumque in ſpiritualibus præſumebãt. Cùm enim ſacerdotes eorum proprium diei officium vellent regulariter celebrare: Laici Miſſas de B. Maria vel de Spiritu ſancto, vel pro defunctis volebãt audire, & ſecundum varias eorũ occupationes, quãdoq; citius, quandoque tardius poſtulabant ſibi diuina celebrari. Si autem ſacerdotes renuerent, indignabantur eis laici, & iraſcebãtur contra monachos murmurantes. Et quoniam ea quibus indigebant, non niſi per laicorum manus recipiebant; monachis neceſſaria petẽtibus, ſurdis auribus prætereuntes, & diſsimulantes laici, frequenter ipſos monachos moleſtabant. E contra laici monachos de ingratitudine arguentes aſſerebant, monachis in ſua pace & cõtẽplationis quiete commorantibus, ſe portare pondus diei & æſtus, & temporalis adminiſtrationis ſolicitudine prægrauari, vt monachis, quibus ſeruiebant, neceſſaria non deeſſent. Et quoniam contra Martham Maria non legatur murmuraſſe, eis ſufficere deberet, quod poſſent alijs exeuntibus in clauſtro quieſcere, & lectionibus & orationibus vacare. Tandem verò

Luce 10.

verò partibus ad audientiam ſummi Pontificis venientibus, Dominus Papa poſt multas allegationes & varias altercationes, & pacem & concordiam inter partes reformauit: Fratribus laicis præcipiens quatenus monachos honorarent, & eis in ſpiritualibus ſubiecti eſſent: de diuinis autem officijs nihil præcipere, aut ordinare aliqua præſumptione attentarent.

Monachis autem iniunxit vt fratres laicos diligerent, verbo & exemplo ipſos in ſpiritu lenitatis inſtruentes, & miſericorditer eorum defectus ſupportantes, nec eis temporalium procurationem & adminiſtrationem inuiderent, ſed ſine querela & murmure eis exteriorum curam relinquentes, ipſi ſpiritualibus intenderent, & diuinis vacarent officijs. *Hactenus ex Iacobi Vitriaci Hiſtoria Occidentali.*

Cæterùm ordinis Grandimontenſis inſtitutor fuit *Sanctus Stephanus* Aruernenſis, qui obijt anno milleſimo centeſimo vigeſimo ſexto: vt Baronius docet in Annalibus.

Anno 1244. Ioannem de Toleto monachum Ciſtertienſem Innocentius Quartus creat Cardinalem: vt loquitur Mattheus VVeſtmonaſterienſis, qui tradit eundem fuiſſe Anglum. Fundauit is monaſteria Sancti Petri, & Sancti Iuliani, Peruſiæ:

teſte

ſeſte Ciaconio, in vitis Pontificum. Obijt Archiepiſcopus Veſontionenſis, anno 1274. Lugduni, tempore Concilij II. generalis.

1246. *Robertus Epiſcopus Leodiẽſis.* Robertus Epiſcopus Leodienſis moritur, qui Ord. Ciſtertienſis adeò ſtudioſus atque amans fuit, vt ab Abbate Ciſtertienſi & cæteris Patribus petierit, vt feſtum S. Lamberti Martyris & Epiſcopi Leodienſis totus ordo celebraret. Sepultus fuit primum Alnæ, poſtea in Clara-Valle: vt legi in manuſcripto Chronico Leodienſi.

Mons Roberti. Sub hoc Epiſcopo Lambertus Canonicus & Cantor S. Dionyſij, monaſterium *Montis Roberti*, quod eſt Virginum, reædificauit. Ita Placentius in Catalogo Epiſcoporum Leodienſium.

Ante annum Chriſti 1246. conſtat monachos Clara-vallenſes collegium Pariſijs habuiſſe, ad ſtudia ea in Academia proſequenda: vt libro de Antiquitatib. Pariſienſibus Iacobus Breulius docet. Matthæus Paris in hiſtoria Anglicana, ſcribit temporibus Henrici III. circa annum 1249. Monachos Ordin. Ciſtertienſis, cùm à Dominicanis, Frãciſcanis, & alijs litteratis doctiſque hominibus velut idiotæ contemptui haberentur, ab Innocentio IV. Papa impetraſſe, vt ſcholas & collegia in celebrioribus Academijs, vt in Pariſienſi, poſſent excitare.

Anno itaque 1336. Benedictus XII. Papa, ante

ante Pontificatum, cùm eſſet monachus ord. Ciſtertienſis, ædificare cœpit templum & collegium ſui Ordinis, in Academia Pariſienſi, quod vulgò *Bernardinorum* dicitur. Poſt cuius obitum, ædificia inchoata perfecit Guilielmus S. R. E. Cardinalis, ordinis itidem Ciſtertienſis monachus: ex duplici inſcriptione, quam in dicti Collegij templo me legere memini: *Bernardinorũ collegium Pariſijs.*

Hæc arma ſunt ſanctiſſimæ memoriæ, Domini Benedicti Papæ duodecimi, Ciſtertienſis Ordinis, cuius eſt præſens ſtudentium Collegium profeſſoris; qui hanc fundauit Eccleſiam, & multis dotauit Indulgentijs.

Dominus Guilielmus, quondam Cardinalis, Doctor Theologiæ, Toloſanus natione, Ciſtertienſis religione; Eccleſiam præſentem ad perfectionem, qualem obtinet, produxit: Bibliothecam inſigniuit, ſexdecim ſcholares in Theologia ſtudentes in perpetuo fundauit.

Hic Guilielmus cognomento Albus, creatus fuit Presbyter Cardinalis, Tituli ſancti Stephani in Monte Cœlio, à Benedicto Papa XII. anno Domini 1337. Et anno 1346. Pontificatus autem Clementis VI. quinto obijt Auenione, auctore Onuphrio.

Cæterùm inter Pariſienſis Academiæ collegia non infimum eſt *Bernardinum*, habetq; aulam longè ampliſsimam, plurimis columnis diſtinctam.

Papirius Maſſonus in vita Benedicti XII. tradit ab ipſo Auenione palatium ingens magna ex parte exædificatum eſſe, itemque Lutetiæ pulcherrimum templum Bernardinorum. Collegium verò, in quo Ciſtertienſes, nunc quoque inſtituuntur, tradit opus eſſe *Stephani* Abbatis Claraualléſis, anno 1245. ædificatum, idq; ex Annalibus Victoriani apud Lutetiam cœnobij.

S. Lutgardis. *S. Lutgardis*, Virgo, patriâ Tungrenſis, primùm benedictini, poſteà Ciſtertienſis Ord. in Aquiria, piè moritur VI. Kalend. Iulij

1246. anno 1246. ætatis ſexageſimo quarto. Vitam eiús ſcripſit Thomas Cantipratanus, exſtatque apud nos manuſcripta, & apud Surium typis edita tomo quinto. Nomen eius adſcriptum eſt Martyrologio Rom. 28. Iun. De eadem Molanus in Natal. SS. Belgij, & in Auctario ad Vſuardum.

Anno 1247. fundata eſt Abbatia S. Viti in Sicilia.

B. Iuliana Cornelienſis, virgo Ordinis Ciſtertienſis eodem anno in Domino obdormiuit, ſepulta in Villario Brabantiæ cœnobio. Hæc virgo ſanctiſsima inſtitutionem feſti Venerabilis Sácramenti promouit; vt diximus ſuprà, an. 1147. & in Chronico Sigebertino. Vita eius fusè exſtat libris duobus Latinè deſcripta in Rubra Valle, apud Bruxellam, eademque Gallicè eſt edita Leodici anno

anno 1598. De eadem vide Gretſerum libro de Feſtis, in Diſſertatione de feſto Corporis Chriſti fol. 7.

B. Aleidis Scarenbeca, monialis in Camera Beatæ Mariæ apud Bruxellam in Domino anno 1250. obdormit. Vita eius exſtat manuſcripta in Rubræ Vallis monaſterio, apud Bruxellam.

Iiſdem temporibus florebat Engelbertus Abbas ord. Ciſtertienſis, qui ſcripſit vitam S. Hidvvigis Duciſſæ, à Surio tomo 5. editam.

Annetenſe monaſterium Virginum in Arteſia vulgò *La Brailla lez Annay*, conditum lego hoc ferè tempore à Michaele Toparcha Antoniano. Alij vetuſtius eſſe volunt.

Anno item 1250. florebat Engelbertus Abbas ord. Ciſtertienſis, qui ſcripſit vitam Sancti Hidvvigis Duciſſæ & monialis, editam tomo 5. à Surio.

Circa hæc tempora fundatum eſt monaſterium *Vallis Benedictinis* apud Germanos, in diœceſi Mindenſi, per Comites Oldenburgicos. *Vallis Benedictionis.*

Mons Principis propé oppidum Sanctenſe fundatus quidem ante 1199. pro Benedictinis, hoc tempore Ciſtertienſibus datus eſt, Reformatus anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimoſeptimo.

Refugiū noſtra Dominæ. Cùm piæ aliquot Virgines, Ciſtercienſis inſtituti, Aldenardæ in Flandria cœnobium ædificare cœpiſſent, idque loco non ſatis cō-modo, *Margaretha* Conſtantinopolitana, Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa, eas ipſas Athum, quod eſt Hannoniæ opidum, deduxit, ibique cœnobium ipſis exſtruxit, dotauitque. De quo exſtat diploma anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto, menſe Iunio, Binchij datum. Ita Iacobus Guiſius in manuſcriptis Hannoniæ Chronicis. Monaſterium iſtud proprio nomine *Refugium noſtræ Dominæ* vocatur.

Furſtenveld. Furſtenveldenſe monaſterium, ſitum eſt ad Ambram fluuium. Fundauit id Ludouicus Bauariæ Dux, pater Ludouici Imp. ad expiandam cædem primæ ſuæ coniugi, Mariæ Brabātinæ, ob falſam adulterij ſuſpicionem, anno 1256. illatam. Nam præcoci ira percitus, Vverdæ ad Danubium eam capite plecti iuſſerat; vbi & ſepulta eſt innocens matrona, in S. Crucis cœnobio. *Notent Brabanticarum rerū ſtudioſi.*

Itaque Alexander Pontif. Max. illi mandauit, vt ad expiandum ſcelus monaſterium Cartuſianis ſua in prouincia excitaret: quod quidem certis de cauſsis pòſt in vſum monachorum Ciſtercienſium ædificauit, Clemente Pontifice indulgente, & monachis ex Allerſpacenſi cœnobio, cum primo Abbate Anſelmo euocatis.

Obijt

Obijt fundator Dux Ludouicus anno 1294. *qui hoc in monaſterio eſt ſepultus, vnà cum filio ſuo Ludouico ex ſecunda coniuge Anna genito; qui Nurenberga in Haſtiludio per Craſtonem ab Hochelo occiſus eſt an. 1271. Itemq; cum vxoribus ſuis, Anna iam dicta Conradi Poloniæ Ducis filia, quæ obijt an. 1271. & Mechtilde, Rodulphi Rom. Regis filia an. 1304. defuncta.* Sic Hundius in Metropoli Salisburgenſi.

Anguli cœnobium, in Sancto Monte apud Sueuos ſitum eſt: De quo ſic Bruſchius, in ſua Chronologia. *Anno 1256. Henricus Finckius Eremita & monachus Salernitanus, auxilio Bertholdi Comitis, in Sancto Monte fundum liberaliter donantis, monaſteriorum in honorem SS. Ioannis Bapt. & Catharinæ inſtituit.*

Schontalenſe monaſterium, in Palatinatu ſitum, per nobiles de Perlichingen fundatũ tradit Munſterus in ſua Germania: ſed annum fundationis ignorat.

Anno 1260. Vallis Comitis, vulgò Nouum Monaſterium, iuxta opidum Gochẽſe ſumptibus Othonis Geldriæ Comitis, & Margarethæ Theodori Cliuiæ Comitis filiæ coniugum, fundari cœpit, cui D. Iſabella primi Gelriæ Ducis filia quondam præſedit Abbatiſſa.

Leuenhorſtum, vulgò *Ter Lee*, ſiue *Leevvenhorſt*, Virginum in Hollandia cœnobiũ nobile, ſeſquimiliari à Nordouico, exſtrui

1262. cœptum eſt ad annum Chriſti 1262. eiuſque condendi auctor fuit *Arnoldus Saſſenbemius*, Harlemenſium Parochus, qui virginalis pudicitiæ ſtudio, cùm in hoc cœnobium, tum in Begginagium Harlemēſe, quod Magnum vulgò audit, opes ſuas largiter & vtiliter effudit. Cæterùm Leuenhorſtenſe cœnobium noſtræ ætatis Sectarij funditus euerterunt; cum multis alijs non ſolùm in Belgio, ſed etiam alijs regionibus, quod ſemel his dictum, non eſt opus ſæpiùs repetere.

Furſtenfeldenſi Abbat. in Bauaria. Anno 1266. *Furſtenveldenſe* monaſterium ad Ambram flu. in Bauaria, fundauit Ludouicus Bauariæ Dux, pater Ludouici Imperatoris, & hoc propter cædem primæ ſuæ coniugis *Mariæ Brabātinæ*, quam ob falſam adulterij ſuſpicionem, VVerdæ ad Danubiū præcoci ira percitus, an. 1256. decollari fecerat, vbi etiā ſepulta eſt, in monaſterio S. Crucis. Impoſitum illi fuit per Alexandrum Pontificem, vt pro pœnitentia in ſua prouincia, & de proprijs redditibus ſuis, monaſteriū pro XII. Cartuſianis inſtitueret. Cùm aūt nullū tale monaſteriū in Bauaria eſſet, promiſit ſimile pro fratribus Ord. S. Bernardi, ſeu Ciſtercienſibus, in loco, qui *Furſtenveld* dicitur, ędificare. Quod illi à Clemente Pōtifice permiſsū eſt; ita tamen ſi nō aliquo priori voto ad hoc obligatus eſſet. Ita teſtatur diploma Conradi Friſingenſis Epiſc. an. 1266. datum.

Atque

Atque ita facta eſt hæc fundatio in honorem Saluatoris Dñi noſtri IESV Chriſti, & glorioſæ Virg. Mariæ. Hunc locum vocatũ *Furſtenveld*, cum omnibus pertinentijs plenariè tradidit. Multa præthereà alia prædia & poſſeſsiones eidẽ cœnobio donauit, quarum nomina in diplomate extant. Conceſsit item ei ius eligendi ſibi Aduocatũ, quem vellent, qui tutelam monaſterij ſine aliquã exactione & grauamine ſuſciperet. Conceſsit etiam iuriſdictionem ſuper bona & ſubditos monaſterij, exceptis capitalibus criminibus; itẽ quæcunq; prędia fratres emerẽt, ſiue eis propter DEVM darentur, quæ feudali titulo ad Principes pertinerent, liberentur eo onere, vt pleno iure proprietatis monaſterio cedant. Prætereà donauit immunitatẽ telonij omnium victualium, ſiue terra ſiue aqua ad monaſterium perferantur.

Eius rei teſtes citantur, Conradus Epiſcopus Friſingenſis, Hartmannus Auguſtenſis Põtifex, Conradus ſecundus, Affinis noſter, vnſer Oheim / Hieruſalẽ & Siciliæ Rex, Dux Sueuiæ, Meinhardus Comes Goritiæ, Gebhardus Comes de Hirſperg, Albertus ſupremus noſter ſcriba, Præpoſitus Illmunſtrenſis, Eberhardus noſter Vicedominus, Diectericus olim noſter Vicedominus, Fridericus de Truchedingen, &c. Actum Monachij 1266. Sunt autem monachi ex Allerſpach

huc vocati, ſub primo Abbate Anſelmo. Sic Hundius.

Eſt & in Bauaria inferiori Furſtencellenſis Abbatia eiuſdem ordinis, vulgò *Furſtenzel*, inter OEnum & Vilſum amnes, incœpta per Hartuicum, Othonis & Henrici Bauariæ ducum Capellanum, ac Canonicũ Pataujenſem: cui cùm ſumptus non ſufficerent, dictus Henricus inferioris Bauariæ Dux, eandem cellam perfecit: vt idem Hundius teſtatur.

Furſtencella in Bauaria.

Loſdunũ in Hollandia.

Loſdunenſe Virginum in Hollandia cœnobium, ſecundo lapide ab Hage Comitis (quę vetus eſt aula Comitum Hollandiæ) nomen habet à collibus marinis, quos inter à *Machtilde*, Florentij eo nomine quarti, Hollandię

1267. Comitis vxore, anno ſalutis 1267. eſt conſtructum; quæ & in eo vitam, à morte mariti, caſtè pieque tranſegit.

Hoc in cœnobio inter alia oſtendi ſolet monumentum *Margaritæ* Principis fœminę, quæ Comiti Hennebergio nupta, vno partu trecentas ſexaginta & quatuor proles dedit, quas *Guido* Epiſcopus Vltraiectinus Suffraganeus, ſacro omnes fonte abluit. Rem diceres fabulæ, quàm hiſtoriæ propiorem, niſi eam Batauiæ Annales conſtanti adſenſu tradidiſſent. Epigraphen è templi pariete non abs re fuerit hoc loco adſcripſiſſe:

Illuſtris Domini Florentij *Comitis Hollandia*

diæ filia, cuius mater fuit Machtildis, *filia* Henrici *Ducis Brabantiæ, fratrem habuit* Guilhelmum *Alemanniæ Regem. Hæc præfata Domina* Margareta, *anno ſalutis milleſimo duceteſimo ſeptuageſimo ſexto, ætatis ſuæ anno quadrageſimo ſecundo, ipſo die Paraſceues, hora nona ante meridiem, peperit infantes viuos promiſcui ſexus numero trecentos ſexaginta quatuor; qui, poſtquam per venerabilem Epiſcopum Dominũ* Guidonem *Suffraganeum, præſentibus nonnullis proceribus & magnatibus, in pelui quadam Baptiſmi Sacramentum percepiſſent, & maſculis* Ioannis, *femellis verò nomen* Eliſabethæ *impoſitũ fuiſſet; ipſorum omnium ſimul cum matris anima ad Deum æternaliter victuræ redierunt, corpora autem ſub hoc ſaxo requieſcunt.* Sic Adrianus Iunius in ſua Batauiæ hiſtoria. *Partus Prodigioſus* 1276.

Anno eodem obijt *Henricus* eo nomine primus Epiſcopus Vltraiectinus, qui *Honepenſe* Virginum cęnobium in vico Horſtenſi, haud procul à Dauentria, Germaniæ inferioris vrbe Epiſcopali, inſtituit ac dotauit. *Honep.*

B. Beatrix Prioriſſa in Nazareth apud Liram Brabantię opidum anno 1268. in Domino obdormiuit VI. Kal. Auguſti. Vita eius libris conſcripta exſtat in Rubra Valle apud Bruxellam.

Pirckenfeldia in Francia Orientali, apud Neapolim, ad Eſtum amnem ſita eſt. Huius *Pirckenfeldia.*

cœnobij in nobilium virginum gratiam excitati gloria debetur *Frederico* Comite Solernenſi, primo Burggrauio Noribergenſi, eiuſq; coniugi *Helena*, circa annum 1276. Ita Bruſchius.

Iacobus VIII. Aragoniæ Rex, cum vehemẽtiori febre correptus teſtamentũ condidiſſet, Ciſtercienſis Ord. veſtem induit, & totum ſe Deo deuouens, Populetum proficiſci ſtatuit. Sed Valentiam delatus, morbo ingraueſcente, votum perficere non potuit, obijtque ibidem an. 1278. Ita Marineus Siculus lib. 10. Annal. Hiſpaniæ.

Margarita cognomento Conſtantinopolitana, (quia Balduini ex Flandorũ Comite Imperatoris Conſtantinopolitani filia fuit) Flandrię & Hannoniæ Comitiſſa, optimè de religione orthodoxa merita, an. 1279. diem claudit extremũ. Huius beneficio conſtructa ſunt plurima per Flãdriam atq; Hannoniam monaſteria, in his Ciſtercienſis inſtituti non pauca, vt *Doriſella* & *Oiſtecloa*, in agro Gandẽſi, item *Refugium noſtræ Dominæ* in Athenſi Hannonum opido, *Flinenſe* monaſterium in agro Duacẽſi, *Silua Nonnarum* ſeu Monialiũ, apud Gandanum, *Haga* apud Axellam Flandriæ opidũ, & *Marquetta* apud Inſulas, Flandriæ, item vrbem mercatu celeberrimam.

Flinenſes moniales primum *Orchiaci*, quod vicinum eſt opidum, ſedem habuêre; poſtea

Flinis

Flinis ad Scarpum fluuium, loco amœniſsimo, ſeſquimilliari à Duaco, collocatæ. Viſunturque ibidem marmorei tumuli *Margaritæ* fundatricis, & *Guidonis* Dampetri eius filij. In vetuſtis monumentis Abbatia Flinenſis, *Honor B. Mariæ*, peculiari nomine inſignitur.

Siluenſes & Hagenſes religioſæ Virgines, in vrbe Gandenſi, vitãdis iniurijs ac tumultibus bellicis, hodiè degunt.

Hagenſe porrò cœnobium lego olim *Domum lætitiæ* nuncupatam.

Sunt & Inſulis, Flandriæ vrbe, gemina Xenodochia, quorum alterum *Sancti Saluatoris*, alterum *Comitiſſa* nuncupant. Totidem quoque Cortraci viſuntur, quorum prius *Sancti Nicolai* cognomento notum, cis Liſam, alterum vltrà Liſam fluuium eſt collocatum. His Xenodochijs, itemque Cominienſi, præſunt, vt audio, Ciſtertienſis inſtituti moniales.

Corona Cæli, Germanicè *Himmelkron*, in diœceſi Bambergẽſi, in Gefreſum & Culmbachium, ditionis Brandeburgenſis opida, Virginum eſt cœnobium: de quo ſic Bruſchius: *Eſt hic locus ex veteri caſtro Preczenſterfo in monaſterium anno 1280. conuerſum ab* 1280.
Othone Comite Orlemundenſi, ſub cura & viſitatione Lancheymenſis Abbatis. Ita Bru-ſchius.

Dei Cella, vulgò *Bona Cella*, Germanicè

nicè *Gottes Zell*, vulgò *Gute Zell*, ſita eſt quarto miliari ab Vlma Sueuiæ metropoli, non procul ab Ochſenhuſa. *Monaſterium iſtud, quod olim ducentarum fuit Virginum, ſub cura & viſitatione Abbatis Salernitani, fundatum eſt à duabus ſororibus Comitiſſis Schloſeburgenſibus; quarum nomina per incendia alioſve caſus inter-*
1283. *ciderunt. Confirmauit Rudolfus I. Imp. an. 1283. Dotem auxerunt Comites Aichamenſes, qui nomen ab arce Aicham ad Ilerum amnem ſita.* Ita Bruſchius in Chronologia monaſter. Germaniæ.

Anno 1293. Bernardus Paſſauienſis apud Noricos Epiſcopus & Princeps *Angelorum* Cellam Ciſtertienſibus exſtruxit.

Anno 1294. duo monachi ordinis Ciſtertienſis à Cœleſtino V. creati ſunt Cardinales, *Simon de Bello loco* Archiepiſcopus Bituricenſis, & *Robertus*, qui Parmæ anno 1305. obijt. Alter deceſsit in legatione Gallica anno 1297.

Floruit quoque hoc tempore Alanus Inſulenſis, Theologus, Philoſophus & Poëta celeberrimus, dictus Doctor Vniuerſalis, qui non vulgarē Ciſtertio, vbi vixit & conditus iacet, gloriam peperit. De quo paſsim admiranda feruntur.

Fons Regius. *Fons Regius*, apud Germanos in Conſtantienſi diœceſi ſitus eſt. *Elegans hoc cœnobium, ſub viſitatione Abbatis Salernitani, in Brentiana*

valle,

valle, ſecundo miliari à Gienga imperiali opido, & tertio à Gamundia Sueuorum, an. 1302. in ho- 1302.
norem B. Virginis Mariæ, & S. Bernardi, fundatum eſt ab Alberto Auſtrio Imp. Rodulfi I. filio & ſucceſſore, eiuſque coniuge Eliſabetha, Carinthiæ Duciſſa. In Valle inquam, eaque ſpacioſa ac cultiſſima eſt fundatum. *Albertus I. Auſtri fundator.*

Semper enim valles ſilueſtribus vndiq; cinctas,
Arboribus D. Bernardus, *amœnaq; prata,*
Et fluuios; iuga ſed Benedictus *amabat, & arces*
Cœlo ſurgentes, è quarum vertice latè
Proſpectus petitur; ſeceſſus plebis vterq;.

Ita Bruſchius in Chronologia monaſteriorum Germaniæ.

Aula Regia, apud Pragam Bohemiæ vrbem regiam, ad Moltanum flu. illuſtre monachorum eſt cœnobium; de quo ſic Bruſchius: *Theodoricus XIII. VValdſaſſenſis Abbas VVenceſlao Bohemiæ Regi, cœnobij huius condendi auctor exſtitit, & VValdſaſſo huc primos monachos anno 1305.* Ita Bruſchius in Chro- 1305.
nologia ſua. Alibi dicit id factum circa annum 1290.

Sunt item in Bohemia Abbatiæ, *S. Corona, Altum Vadum, Sacer Campus,* & *Nouum Nemus.*

Anno 1310. Arnaldus Nouelli, Vaſco monachus Ciſtertiẽſis, ex Abbate Fontis Frigidi, à Clemente V. creatur Cardinalis.

ORDO

ORDO EQVITVM MONTESIÆ in regno Valentiæ.

IACOBO II. Aragoniæ, Catalauniæ & Valentiæ Rege, per legationes agente, ex prædijs, quæ Templarij in Valentino tractu obtinuerant, noua vt militia conſtitue-
1317. retur, anno CIↃ. CCC. XVII. à Ioanne XXII. Pontif. Maxi. eſt impetratum: Calatrauæ quidem contributa, proprio tamen Magiſtro, veſte candida, & *cruce rubra* inſignis, ſimplici planaque. Ciſtertienſis inſtituti legibus viuere mandatum eſt. Præcipua ſedes Monteſia: vndè & militiæ nomen. Infeſtabant id temporis Mauri littora Valentina: quibus tuendis egregiam Equites iſti operam præſtitere. Primarius huius inſtituti auctor fuit *Guilielmus Erilius*, vir fortiſsimus. Solent autem Equites iſti in vexillis militaribus cruces viridi nigroque colore diſtinctas, in ſcutis autem veſtibusq; cruces, vt dixi, rubras præferre, & caſtitatem omnes profiteri. Quæ, vt audio, violata eſt, temporibus Cæſaris Borgiæ, Magiſtri ordinis XI. Summis Pontificibus certas ob cauſas indulgentibus.

Hier. Surita, lib. 2. rerum Aragon.

Inter Magiſtros ordinis meritò laudatur, *Iacobus*, Iacobi Aragoniæ Regis filius: cui Eleonora Alfonſi Caſtellæ Regis filia cùm eſſet deſponſata, ea intacta relictaque, militiæ

tiæ huic nomen dedit, laudatiſsimeque præfuit. Noſtra ætate *Iacobus Falco*, Valentinus, huius Ordinis miles, inſignem de quadratura circuli commentarium edidit, Antuerpiæ typis Bellerianis. Plura qui volet, Ioannem Marianam, Conſaluum Argetem Molinam, libro de Nobilitate Hiſpaniæ, alioſque eius prouinciæ hiſtoricos conſulat. Qui quidem vnanimi conſenſu, non ad Iacobi I. cognomento Fortunati, vt Volaterranus, Bugianus, & Morigia per errorem fecêre, ſed ad Iacobi II. Aragoniæ Regis tempora, huius equeſtris militiæ initia referunt. Ex quibus patet, & Onuphrium Panuinium, in Chronico ſuo Eccleſiaſtico, iſta perperam anno Chriſti 1233. adſcribere.

ORDO EQVITVM CHRISTI, in Portugallia.

PORTVGALLIA, ſiue, vt alij ſcribunt, Portugalia, (quæ prouincia maiori ex parte veteribus Luſitania fuit) ſecundùm Oceanum occiduum fuſa, & Anâ ac Minio fluminibus ad meridiem Septemtrioneſque comprehenſa, longitudine quadringenta milia paſſuum colligit, multo minori latitudine, & vbi arctiſsimè ſe pandit, centum ampliùs ſexaginta milium, vbi arctiſsimè coit, octoginta. Diuiſa eſt in partes tres, *Ciſtaganam*, *Tranſtaganam*, & tractum eum

qui

qui Minio, Durioque continetur, prouentu lætiſsimus, vbi *Bracara* ſita eſt: citra Tagum autem *Oliſipo*, vltra Tagum ſpectatur *Ebora*, metropolitanæ vrbes.

Cæterùm vt in Caſtella, ſic & in Luſitania varij ordines militares numerantur: quorum quidem militum credibili virtute freti Reges Luſitaniæ, Mauros olim ea prouincia expulerũt, auorumq́; ætate, Africam, Aſiam, atque alio ſub ſole iacentes Indos, ſibi tributarios fecerunt, veræq́ue religionis lumen in remotiſsimas nationes intulerunt. Hos inter ordines apud Luſitanos is nobiliſsimus cenſetur, qui CHRISTI nomine inſignitur. Cuius quidem ſodales, ex *Ciſtertienſium* inſtituto viuentes, nigra veſte vtuntur, & *cruce* partim *rubra*, partim *candida*. Sunt enim quatuor eius brachia per medium diſciſſa, & linea candida interſecante diſtincta: ſic vt in ſingulis brachijs binæ cruces appareant, rubra & candida. Militarem hunc ordinem, aduerſus Mauros, inſtitutum, *Ioannes XXII.*
1318. Pontif. Max. anno ferè CIↃ. CCC. XVIII. confirmauit. Huic ſodalitio Templariorum nuper deletorum opida, prædia, ædeſque à *Dionyſio* Luſitaniæ Rege ſunt adtributæ. Primarium ordini domicilium ad *Caſtrum Marinum*, in diœceſi Gluenſi, eſt conſtitutum: inde poſteà *Tomarium* migratum. Sic ferè Mariana in hiſtoria Hiſpaniæ: at Panuinus, in Chro-

in Chronico ſuo eccleſiaſtico, ad annũ 1325. iſta reijcit. Exſtant huius ordinis regulæ, ſeu Conſtitutiones, itemque priuilegia Luſitanè edita Oliſipone, anno 1607. à Reuerendiſsimo DAMIANO Priore conuentus Tomarienſis, & Generali eiuſdem ordinis Præfecto. Connubij porrò facultatem ab Alexandro VI. Pontif. Max. militibus iſtis conceſſam lego.

Medio ferè itinere vrbem Treuerenſem & celebre B. Matthiæ cœnobium Benedictinum, nobilium iſtud Virginum monaſteriũ ad Oleachium, vulgo Levvichium fluuiolum iacet: olim Pons olei, ab oleo, quod ibi fluxiſſe tradunt temporibus SS. Eucharij & Materni, primorum Epiſcoporum Treuerenſium, in hoc fluuiolo baptizantium, poſtea verò Pons Leonis nuncupatum. A Leone ſcilicet Nono Pontif. Max. patriâ Germano, & Comite Dagſpurgenſi, quem Treuerim ingreſſurum ad hunc fluuiolum, & in ipſo duorum fornicum ſaxeo ponte, Archiepiſcopus clerus & populus Treuerenſis excepit, indeq; illuſtri pompa in vrbem deduxit.

De huius cœnobij, quod quinquaginta olim nobiles puellas aluit, origine nihil certò à nobis dici poteſt. Illud quaſi conſtat, ipſum ante trecentos amplius annos vaſtatum, paulò pòſt ab Oitolfo Schulero, Treuerenſium Scabinorum Magiſtro eſſe reſtitutum. Obijt is anno 1322. hoc in loco 1322.
vt ſecundarius fundator decenter ſepultus. Hæc

 ferè

Digitized by Google

ferè Gaſpar Bruſchius in ſua Chronologia ſiue Centuria monaſteriorum Germaniæ, vbi de Treuerenſis S.Matthiæ cœnobij origine diſſerit.

Anno 1324. Cella S.Mariæ, vulgò *Marie-Zel*, olim Ciſtertienſis Abbatia, ędificari cœpta eſt à duobus Eremitis, Godefrido & Alberto, monachis ab Altachio ſuperiore accitis: teſte Hundio. Hodie nulli in ea ſunt monachi, propter redituum tenuitatem, ſed regitur ab vno aut altero tantùm ſacerdote ſęculari.

Hundium ipſum loquentem audiamus: Cellæ B. Mariæ exordia debentur duobus Eremitis Godefrido & Alberto, quibus, hortante Rainmaro Prennenbergio nobili viro, Nicolaus Epiſcopus Ratisbonēſis conceſsit in nemore apud caſtrum Prenbergenſe, in pede montis Schoflochenſis, cellam & oratorium ædificare anno 1324. Sic Hundius in Metropolit. Salisburgenſi, ex publicis literis dicti Nicolai Epiſcopi, quem præ Auentino, paullò aliter ſuis in Annalibus, iſta narrantem, audiendum exiſtimo.

Anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſeptimo, Iacobus Fornerius, Gallus, Doctor Theologus, ex Abbate Montis Frigidi, ord. Ciſtertienſis, Auenione ab auunculo ſuo Ioanne XXII. creatur Cardinalis, qui poſtea fuit Benedictus XII. Papa.

Anno

Anno 1330. Mons Regalis in diœceſi, Bellouacenſi, apud Pellimontem, fundatur à S. Ludouico Galliæ Rege: teſte Guilielmo Nangiaco.

Benedictus X. dictus XII. olim monachus Ciſtertienſis, & Abbas Fontis Frigidi, Ioannis XXII. ex ſorore nepos ex Cardinale Sanctæ Priſcæ, creatus Pontifex Romanus.

Præter Regiſtrum Epiſtolarum & Conſtitutionum ab ipſo editarum, quod tomis 10. diſtinctum, exſtat manu ſcriptũ, in Bibliotheca Vaticana, ſcripſit Conſtitutionem de Reformatione Benedictinorum nigrorum: quæ cum commentarijs Petri Boerij, Abbatis Sancti Aniani, exſtat manuſcripta in Bibliotheca monaſterij S. Benedicti in vrbe Mantua. Erat autem Ordo Benedictinus nigrorum monachorum ſic reformatus, in Prouincias XXXVI. diuiſus.

1. Rhemenſis & Senonenſis pro vna prouincia.
2. Rotomagenſis & Turonenſis, cum monaſterio S. Florentij, & membris ipſius, quod nulli Epiſcopo ſubeſt.
3. Bituricenſis & Burdegalenſis, cum Epiſcopatu Anicienſi.
4. Narbonenſis, Toloſana, & Anxitana.

5. Cantuarienſis & Eboracenſis in Anglia.
6. Hiſpalenſis Campi ſtellæ & Andaluſiæ in Hiſpanijs.
7. Toletana, in Hiſpania.
8. Bracarenſis, in Luſitania.
9. Tarraconenſis, Cæſaraauguſtæ, cum Epiſcopatu Maioricæ in Aragonia.
10. Lugdunenſis, Biſuntinenſis & Tarantaſienſis, in Burgundia.
11. Viennenſis, Arelatenſis, Aquenſis, & Ebrodunenſis, in Delphinatu.
12. Romana prouincia, cum ſeptem Epiſcopis ſubiectis, & monaſterijs Sublacenſi & Farſenſi, nullius diœceſis.
13. Rhegienſis, Coſentiæ, Sancti Seuerinæ, Roſſanus, Mileti, & Biſignani Epiſcopatus.
14. Compſanenſis, Archerontinus, Tarentinus, Brundiſinus, Otranti Epiſcopatus.
15. Barenſis, Sipontinus, Beneuentanus, Troianus, Melphitanus, & Epoli, Epiſcopatus.
16. Neapolitanus, Capuanus, Malphitanus, Salernitanus, Surrentinus, Caſinenſis, Rauellinus, Auerſanus, Epiſcopatus, ſimul cum monaſterio S. Vincentij de Vulturno ab Epiſcopali poteſtate exempto.

17. Pa-

17. Panormitanus, Meſſanenſis, Montis-Regalis, Melitanus, Epiſcopatus ſiue regnum Siciliæ, cum Inſula Melitenſi.
18. Regnum Cypri.
19. Regnum Sardiniæ & Corſicæ.
20. Patriarchatus Aquileiæ, Gradenſis, cum prouincijs Iadræ, & Raguſij.
21. Prouincia Mediolanenſis, Genuenſis & Piſana.
22. Rauenna, Ferraria, & Placentia, ciuitates.
23. Strigonienſis, & Colocẽſis, ſiue Regnum Hungariæ.
24. Gneſnenſis, ſiue Regnum Poloniæ.
25. Ardinacenſis, Dublinenſis, Caſſelenſis, Duacienſis, in Hibernia.
26. Regnum Scotiæ.
27. Regnum Bohemiæ.
28. Regnum Daciæ, ſiue Daniæ.
29. Regnum Norvvegiæ.
30. Regnum Sueciæ.
31. Archiepiſcopatus Moguntinus, cum Epiſcopatu Bambergenſi.
32. Archiepiſcopatus Colonienſis, & Treuirenſis.
33. Archiepiſcopatus Bremenſis, Magdeburgenſis, cum Epiſcopatu Cummenſi.
34. Archiepiſcopatus Saltzburgenſis in Bauaria.

Digitized by Google

35. Archiepiſcopatus Rigenſis, in Liuonia.

36. Prouinciæ item Thebana, Athenienſis, Patrarum ſiue Corinthi, cum Patriarchatu Conſtantinopolitano.

His ferè temporibus floruit Theodoricus Cagelmindus, illuſtri genere natus, primùm ord. Ciſtertienſis monachus, poſtea à Carolo IV. Imp. ad Epiſcopatum Mindenſem, ac demùm ad Archiepiſcopatum Magdeburgenſem promotus.

S. Bernardi Magiſter in Hiſpania.

Diui Bernardi Magiſter, ignotum noſtra ætate nomen honoſque, prælio ad Anagarum opidum commiſſo interfuit, Henrici partes ſecutus cum multis, de capto lege perduellionis capitis ſupplicium ſumptum, Behetrijs, Caſtellæ vlterioris opidis, vbi latè dominabatur publicatis, fiſcoque addictis. Quod Magiſtro nomen fuerit, quod Magiſterio initium, quæ auctoritas, nemo ſcriptorum explicat: ea ætate notiſsima tempus caligine obduxit. Virum ſacratũ ſiue Eccleſiaſticum fuiſſe, anathematis ignominia indicio eſt, eo nomine Petro Regi inuſta. Et ſuſpicari libet, Behetrias, cùm idem Petrus Rex ſui iuris ea opida facere cõtenderet, nec poſſet, obiecta religionis ſpecie, Romaniq; Pontificis auctoritate, ſe Diui Bernardi ordini vltrò ſubdidiſſe, Calatrauæ, & Alcantanæ militum exemplo, capite delecto, cõſtituto-

tutoq́;,cui D. Bernardi Magiſtro nomen eſſet, curas cum cæteris belli ſacri, eo temperamento, quantum libertati per multas ætates illibatæ conſultum eſt, ab eorum opidorum incolis, tantum Regem in nouum Magiſtrum atque ordinem infenſus animus eſſe cępit;eoq́; diuerſas partes fuiſſe ſecutum arbitror. Hæ ſunt coniecturę. Id conſtat Vrbânum V. Pontificem Petro Regi poſteà conceſsiſſe, vt ſublato nomine & munere Magiſtri D. Bernardi, Behetriæ & retenta appellatione, eidem Regi cederent, eas donandi, vendendi, & alienandi poteſtas nulli eſſet. Id religioni datum, quoniam ſacræ militiæ erãt addictæ, ne pretio venales eſſent. Sic ferè Mariana Rerum Hiſp. lib. 17. cap. 11. de Behetrijs conſule eundem lib. 16. cap. 27.

Anno 1379. floret Theodoricus ex Abbate Ord. Ciſtertienſis primùm Mindenſis Epiſcopus, poſtea Magdeburgenſis Archiepiſcopus: teſte Crantzio, Metropol. lib. 9. cap. 50.

Muſinenſis apud Machliniam cœnobij exordia debentur pijs aliquot virginibus in vico *Muyſen*, primo à Machlinia lapide, anno 1380. commorantibus, & griſeas, vt nuncupant, veſtes geſtantibus. Quibus cùm Beggina vna Machlinienſis, cognomento *Spaimanna*, & aliæ aliquot virgines acceſsiſſent, Ciſtertienſe inſtitutum anno 1387. *Muyſen apud Machliniam.*

 pridie

pridie Natalis Domini ſunt amplexæ, & prima, vt vocāt, Prioriſſa, ab Abbate Bodeloenſi, ipſis data eſt dicta Spaimanna. Hæc ex eius loci monumentis nobis V. R. Ioannes Bapt. Grammaius ſuppeditauit: cuius & Machliniam lege, poſtea typis editam.

Monaſterium *Coronæ B. Virginis*, apud
1382. Heuſdenum opidum, anno milleſimo treceteſimo octogeſimo ſecundo, excitatum reperio. Fuit id olim Abbatiali titulo decoratum, ſed maris inundatione acciſum in Prioratum, vt loquuntur, poſtea deſijt. Eius loci monachi, bellis iſtis ciuilibus ſæuientibus, Heuſdeno Siluam-Ducis ſeſe tranſtulerunt.

Anno 1386. Portus Dominæ noſtræ in VVarmunda Hollandiæ pago conſtructus eſt.

Anno 1389. Carus ex Abbate Alti-Fontis, ſiue Parcenſi, creatur Archiepiſcopus Montis Regalis in Sicilia: teſte Ioanne Ludouico Lello, in deſcriptione Eccleſiæ Montis Regalis.

Arnoldus Egmondæ & Iſelſtenij Toparcha, præter *Iſelſteinenſe* in Hollandia Canonicorum VIII. Collegium, inſigne monachis Ciſtertienſibus cœnobium, circa annum 1390. aut 1394. excitauit; quod primum extra muros collocatum, pòſt in opidum Iſelſteinenſe eſt tranſlatum.

In

In Tranſiſalanam Germaniæ inferioris prouinciam nunc tranſeamus. *Zibekeloenſe* monaſterium in Trentana ditione, aliàs *Galilaam* maiorem nuncupatum, anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo tertio exſtru- 1403.
ctum ferunt. Sed & *Dickeningenſe* monaſterium, ex vico Runenſi iſtuc tranſlatum, olim apud Trentanos floruiſſe narrant.

Anno 1412. Campenſi Monaſterio ſubiectus eſt Mons Dominæ in Iſſelſtein, primum quidem Abbatia, poſteà verò Prioratus. Galilæa quoque maior in Zibekeloe, ante decennium conſtructa, vt iam dictum eſt, iuxta Dauentriam, multorum fratrum Laicorum, qui ad 80. ibi ſolent commorari, præter ſacerdotes, receptaculum. Item VVarmunda in Hollandia, inſignis olim Prioratus, nunc campus vbi Troia fuit.

Portum B. Mariæ, in VVarmunda, cœnobium Virginum, *Iacobus*, VVoudæ & VVarmondæ Toparcha, in ipſis ruinis ruderibuſque caſtri *Oudethelingani*, ante conſtructum anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo, 1413.
tertiodecimo. Campenſium Abbatum viſitationi conceſsit. Vel vt alij volunt præſtitit id Albertus Palatinus Rheni, Bauariæ Dux, Comes Hollandiæ.

Portus B. Mariæ in Hollãdia.

Anno milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, florebat Matthæus Aulæ Regiæ in Bohemia monachus, qui ſæpè cum Io-

anne Huſſo hæreſiarcha diſputando glorioſè conflixit. Obijt in monaſterio Veteris Cellæ apud Germanos.

S.Saluatoris Prioratus, Antuuerpienſis.

Prioratus S. SALVATORIS, vulgò *Petri Potz*, munificentia Petri Potz, patricij Antvverpienſis, eiuſque coniugis Mariæ Terrebrots, in vrbe Antvverpienſi anno 1433. exſtrui cœptus eſt, & annuo cenſu, qui octo religioſis, & quatuor Conuerſis vel famulis alendis ſatis eſſet, dotatus: Eugenio IV. Papa confirmante. Primi religioſi eò venere ex Iſelſteinenſi Hollandiæ cœnobio. Antvverpiēſe porrò templum à Caluinianis vaſtatum R.D. Henricus Vander Heyden, patriâ Louanienſis, ex Priore Villarienſi, nunc Antvverpiæ ad S.Saluatorem Prior egregiè inſtaurauit, & vnà diſciplinam monaſticam, quod caput eſt, laudatiſsimè reſtituit.

Obijt autem fundator Petrus Potz, anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo, ipſo die S.Bernardi, in dicto ſuo monaſterio cum vxore ſepultus.

Donca B. Virginis non procul ab Hueſden ſita anno 1443. erecta eſt, Campenſium inſpectioni commiſſa.

In Flandria à VVarmundanis ſumpſit exordium anno 1446. VVarſchaten Campenſibus ſubditum.

Guilielmitæ Horti & Vineæ B.Virginis in maiori & minori Burloe Monaſterien-

ſis

ſis Epiſcopatus, authoritate Nicolai Papæ anno 1448. Ciſtertiēſes effecti ſunt; & Campenſibus ſubiecti. Quo etiam anno cœnobium Bottenbroeck monialibus ſuis deſtitutum, à Campenſibus Monachis occupatum inhabitari cœpit, à quibus centum penè annorum continuo labore & patientia inſigniter reformatum fuit, donec incumbente bello Truchſeſiano in diœceſi Colonienſi cōtinuis deprædationibus exhauſtum ad extrema penè deductum eſt.

Anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octauo, *Porta Cæli*, apud Harlemum, virginum cœnobium, olim in vico Hemſtedano, haud procul Harlemenſi vrbe ſitum, initia ac dotationem ſuam debet *Hugoni Aſſendelſio*, & *Ioanni Nicolao*, pijs & Ciſtertienſi in primis inſtituto deditis ſacerdotibus. *Porta cæli in Hollandia.*

Galilæa minor in Hollandia an. 1465. conſtructa eſt pro monachis Ciſtertienſibus. Ioannes Ditmarus in Catalog. Abbatum Campenſium.

In Zirizæa, celebri Zelandriæ opido, Ciſtertienſis inſtituti monaſterium anno ferè 1470. ædificatum lego.

Anno 1480. plantari cœpta eſt Sylua B. Mariæ Virg. in Berſchet, iuxta Heimbach, trāſmiſsis iſthuc Monachis ex Bottēbroech, qui ſingulari pietate & diligentia conſpicui pulcher- *Nemus B Virg. vulgò Marienvvald.*

pulcherrimam Eccleſiam duodecim altaribus ornatam & præclariſsimi artificij vitreis feneſtris, illuſtrem erexerunt.

Iardinetũ in Comitatu Namurcenſi.

Ioannes Euſtachius, primus Abbas *Iardineti* ſiue Hortuli, apud VValcuriam Comitatus Namurcenſis opidum, anno 1481. piè in Domino obdormit: cuius tumulum vidimus ante aram ibi maiorem cum honorifica inſcriptione.

Cæterùm Iardineti monaſterium, primùm à monialibus fuit inſeſſum, poſtea verò monachis, operâ dicti Ioannis Euſtachij eſt traditum: vt ex eiuſdem vita, à Iacobo VVimeſio, Iardineti Abbate, vt apparet, conſcripta datur intelligi. Ex qua hæc habe.

Ioannes Euſtachius adoleſcens, monachus factus eſt Montibus Hannoniæ, in cœnobio Vallis ſcholarium, ſub beati Auguſtini regula militantium. Cùm autem intellexiſſet in tractu Namurcenſi, operâ pijſsimi Principis, *Guilielmi* Comitis in ea prouincia Poſtremi, Ciſtercienſis inſtituti regulam, ad priſtinum rigorem reuocatam, mirè efflorеſcere, conſenſu ſuperiorum ad *Molinenſe* monaſterium ſe contulit. Hic cùm annis aliquot laudatiſsimè vixiſſet, ab Abbate Alnenſi miſſus eſt ad *Iardinetum*, monialium Ciſtercienſis ordinis cœnobium reformãdum. Quo cùm veniſſet, moniales tres, quas ibi repperit, ob vitam liberiorem amouit, & ad alia

alia cœnobia ablegauit. Socio itaque è Molinenſi cœnobio euocato, & paulò pòſt tribus clericis, monaſticæ vitæ ſtudio ad ſe venientibus, auctus, in magna paupertate vixit innocentiſsimè. Quo factum, vt principibus viris, in his *Philippo Bono*, Burgundię, Brabantiæque Duci, eiuſque coniugi *Eliſabetha*, longè eſſet gratiſsimus. Quæ pia matrona cum fortè *Iardinetum* veniſſet, mille ducentos aureos nouo oratorio exſtruendo, liberaliter contulit.

Reformatis porrò varijs in tractu Namurcenſi monaſterijs, reſtabant Hannoniæ & Flandriæ cœnobia viſitanda. Itaque inter cætera *Oliuetanum* apud Binchium Hannoniæ, & *Belloprateníe*, apud Gerardimontem Flandriæ opidum, ſita monaſteria, iuſſu Abbatis Claraualleníis, cui immediatè ſubſunt, non ſine magno labore, vitæque periculo reformauit. Poſtremò cum annis triginta nouem Abbatis munere functus fuiſſet, miſsionem à ſuperioribus inſtanter petijt. Qua impetrata, cùm annis quatuor ſuper vixiſſet, piè in Domino obdormiuit anno milleſimo 1481.
quadringenteſimo octogeſimoprimo, ætatis annum octauum & ſeptuageſimum ingreſſus.

Saleſinenſe monaſterium, Virginum, apud *Salſen.*
Namurcum, vulgò Salſen Abbati Molinenſi peculiariter paret. Meyerus in Annalibus Flan-

Flandriæ commemorat, *diuiſas multis Flandriæ locis reliquias vndecim millium Virginum ab Himana, cœnobij huius Antiſta, eademq; Conradi Colonienſis ſorore.*

Ioannes Abbas Ciſtertienſis, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimoprimo, Priuilegia ord. Ciſtertienſis vnum in corpus collecta, Diuione per Petrum Metlinger Alemannum, typis publicanda curauit.

S. Franca Abbatiſſa Silentio præteriri non debet *S. Franca* Abbatiſſa monaſterij Sancti Viti, in vrbe Placentina apud Italos: cuius vita breuiter legitur in Breuiario ord. Ciſtertienſis anno 1501. edito, quàm Gallicè reddidit Ioannes d'Aſsignies, libro ſecundo, capite tertio.

In Calabria celebre eſt monaſterium SS. Stephani & Brunonis nuncupatum, quod ipſe S. Bruno Cartuſianorum fundator, Rogerij Calabriæ & Siciliæ Principis libertate adiutus, excitauit, & in quo is ipſe anno 1101. obijt.

Cæterùm poſt mortem beati Brunonis, vt in hiſtoria vitę eius Surius commemorat, in Cartuſianæ vitæ inſtituto perſeuerauit illud monaſterium, ſub quinque Prioribus, qui ei ſucceſſerunt, vſque ad tempora venerabilis *Guigonis* Prioris Cartuſiæ. Inde in Gallia creſcente ordine Cartuſienſi, ſolùm illud Calabriæ monaſterium à B. patris Bru-

nonis

Digitized by Google

nonis feruore & ſanctitate, tepeſcendo degenerauit. Et petebant quidē eius habitatores à Cartuſia viſitatores & reformatores; ſed nimia locorum intercapedo nō facilè id obtinebat. Itaque ad *Ciſtertienſe* inſtitutum illi ſe tranſtulêre, quod tum recens ortum, & incomparabilis viri *B. Bernardi* Abbatis Clarauallenſis, inſigni ſanctitate, multoque labore, mirificè propagatum, in magno feruore durabat. Ad illud autem tempus in Cartuſianæ religionis profeſsione permanſerat illud monaſterium annos 60. Sed Ciſtertiēſi quoque religione, ſucceſſu temporis ibi tepeſcente, tandem monaſterium S. Brunonis factum eſt commendatitium, vſque ad Pontificis *Leonis X.* tempora.

S. Stephani monaſterium Cartuſiæ ſe traditur Ciſtertienſibus.

Is Pontifex, cum multorum relatione de eximia *B. Brunonis* ſanctitate crebrò audiſſet, indignum arbitratus eſt eum, quem præpotens DEVS in hac vita tot auxiſſet donis, & chariſmatibus, & nunc cœleſti afficeret beatitudine, in terris non eximia laude & prædicatione efferri, nec debita piè deuotionis officia perſolui, apud thronum diuinæ gloriæ quieſcenti, cui dediſſet Dominus cor ad præceptum, & legem vitæ & diſciplinæ. Itaque non modò auctoritate Apoſtolica clementer annuit, ſed etiam voluit, vt in ſingulis monaſterijs totius ordinis Ciſtertienſis, & earum Eccleſijs, ſiue Sacel-

S. Brunonis feſtũ inſtituitur. Sacellis, feſtum ſanctiſsimi *Brunonis* Confeſſoris annis ſingulis, die ſexto Octobris, quo deceſsit è vita, ſolenniter colatur, & cõgrua debitaq; deuotione celebretur; ipſius etiam corpus atque memoria, dignam in Domino laudem habeat ac venerationem: conueniens etiam officium in honore ipſius agatur, & decantetur, nec non quotidiè in diuino officio de eo commemoratio fiat. Domum præterea *S. Stephani*, quam B. Bruno in Calabria condiderat, & in qua ſacrum eius corpus quieſcit, idem Pontifex à Ciſtertienſibus ad
1514. Cartuſianos reuocauit, anno ſalutis 1514. vt deinceps illic Cartuſiano more & inſtituto viuatur, ſicut & nunc viuitur. *Hactenus ex Surio.*

Nicolaus Salicetus Germanus, doctor & monaſterij Bomgardi Abbas, ſcripſit Antidotarium animę Venetijs, anno 1517. & Pariſijs 1552. excuſum.

Vinea noſtræ Dominæ, in vrbe Louanienſi. *Vinea noſtra Dominæ* in vrbe Louanienſi, Virginum cœnobium exſtrui cœptum eſt, anno 1518. fundum ædeſque in eo ſtantes liberaliter dante viro nobiliſsimo, *Gualtero Timpelio*, vrbis Louanienſis Conſule, & filijs eius Ioanne & Ludouico adſentiẽtibus. Moniales autem ex VValteri Brania ſunt euocatæ, quibus *Margareta ab Ittre*, eiuſdem alumna cœnobij, prima præfuit Abbatiſſa. Anno 1521. à Capitulo, vt vocant, generali Ciſter-

Ciſtertienſi, ſupremus viſitator & Pater Abbas huic monaſterio datus eſt V. P. *Marcus Cruyt*, Abbas monaſterij S. Bernardi ad Scaldim flu. apud Antuerpiam; qui vt alter quaſi fundator annuos cenſus non exiguos monialibus in perpetuum alendis adſignauit. Hæc ex ipſis loci monumentis ſunt deſumpta.

Eſt autem cœnobium illud in pede veteris caſtri Louanienſis ſitum, ideoque *Subcaſtrenſe* vulgò nuncupatur. De quo ſic I. Lipſius in ſuo Louanio: *Subcaſtrenſibus (vt vocantur, monialibus conditor Gualterus Timplius, vir nobilis: & acceßit in partem Catharina Oppendorpia, Vidua Ioannis Bloſij, Equitis an. CIƆ. IƆ. XVIII.*

Anno 1557. Triſtandus Bizetus ex monacho ord. Ciſtertienſis, fit Epiſcopus Sanctonenſis in Gallia.

ORDO EQVITVM S. MAVRITII, & S. Lazari, in Sabaudia.

HVNC ordinem militarem à *S. Baſilio* Cæſarienſi Epiſcopo inſtitutum, & à *Damaſo* Papa I. auctum eſſe tradunt: teſtemque aduocant Gregorium Nazianzenum, qui eiuſdem Baſilij res geſtas ad poſteritatem tranſmiſit. Illius ſanè militiæ antiquitatem vetuſta *S. Lazari* Xenodochia ſiue Hoſpitalia conteſtantur.

Eandem Innocentius III. Honorius III.

Gregorius IX. & alij Pontifices Maximi comprobarunt. Innocentius IV. præſcripſit ipſis rationem eligendi Magiſtrum generalem, aliam ab iſta, quam olim obſeruarant. Alexander IV. profeſsionem regulæ *Auguſtinianæ*, ab ipſis emitti ſolitam, non ſolùm laudauit, ſed & prædia eiſdem in Sicilia, Calabria, Apulia, Campania, alijſque Italię locis à Frederico Barbaroſſa Imp. conceſſa, ſuo diplomate ſtabiliuit. Sicuti deinde Põtifices Nicolaus IV. Clemens IV. Ioannes XXII. Gregorius X. Paulus II. Vrbanus II. Leo X. & alij varijs priuilegijs equeſtrem hunc ordinem honorarunt. At temporum, vt fit, iniuria, cùm præclarum iſtud inſtitutum pœnè concidiſſet, *Pius IV.* Pontif. Maxim. anno 1565. reuocauit, *Iannotio Caſtillonio*, viro nobili Mediolanenſi, Magiſtro generali creato. Quo quidem Ver-
1572. cellis anno 1572. defuncto *Gregorius XIII.* Pontif. Maxi. *Emmanueli Philiberto*, Subaudiæ Duci, Magiſterium, ſummamque illius ordinis præfecturam detulit. Is Niceæ & Taurini bina domicilia excipiendis Equitibus, à fundamentis excitauit, multaque præclarè conſtituit.

Cæterùm Gregorius XIII. militiam *S. Mauritij* (quem vt Diuum tutelarem ac præſidem *Allobroges* venerantur) cùm iſta *Sancti Lazari* coniunxit, & *Ciſtertienſem* regulam

gulam Equitibus ſeruandam propoſuit: adhæc loco *viridis crucis*, olim nudè geſtari ſolitæ, alteram *crucem candidam*, clypei medio, pro teſſera adiecit. Dictaque exinde militia *Equitum Sancti Mauritij & S. Lazari*. Hæc & alia plura Paulus Morigia Mediolanenſis, ex ordine Ieſuatorum S.Hieronymi, commemorat, libro 3. originum Monaſticorum, cap. 7.

Hier. Socher⁹ Cardinalis.

Hieronymus Socherius, Gallus, ord. Ciſtertienſis, Theologiæ & virtutis laude clariſsimus, eam doctrinæ & ſanctitatis famam apud omnes obtinuit, vt ſummis Principibus carus ſemper fuerit. Cuius opera atque conſilio Henricus II. Franciſcus II. & Carolus IX. Gallorum Reges vſi, ſolers hominis ingeniũ ſapientiamq; ſingularem admirabantur. Hic Abbas Clarauallẽſis creatus, ad Concilium Tridentinum profectus, plenas religionis ardore, & eruditione ſententias protulit; vndè maior illi nominis opinio parta, nouos honorum titulos cumulauit. Hinc ſui ordinis Magiſter generalis, ſummuſque moderator electus, hunc magiſtratum adeò prudenter geſsit, eoque pietatis ſtudio cuncta gubernauit, vt minimè expectata, nedum quæſita purpura, ei vltro à Pio Papa Quinto delata fuerit. Sed incredibilis modeſtiæ vir, nullaq; prorſus honorum cupiditate accenſus, ampliſsimam purpuræ

dignitatem vt acciperet, Pontificis iuſſu, & amicorum precibus vix tandem adductus fuit. Ergo Presbyt. Cardinalis tit. S. Matthæi in Merulana anno 1568. inſignitus, Romam veniens, in perpetuaque illa continentiſsimi animi tranquillitate conquieſcens, quam ſingulari magnitudine contempſit gloriam, cumulo laudis ampliſsimo conſecutus, obijt Romæ anno Chriſti 1571. ætatis 63. x. Kal. Nouemb. & in Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem, marmoreã ſepulchro à monachis Clarauallenſibus ornatus fuit; hac inſcriptione addita:

Donno Hieronymo Socherio, Aruerno, Pariſienſi Theologo praſtantiſsimo: qui Henrico II. Franciſco II. & Carolo IX. Gallorum Regibus, Cardinali Carolo Lotharingo, bonisq; omnibus eximiè caro, Claravallis Abbati, in Tridentina Synodo ſententias doctrinæ, pietatis, ac prudentiæ pleniſsimas dixit: inde Ciſtertij electus Abbas, ipſiusque Ordinis Generalis, à Pio V. Pontifice Max. delatam abſenti Cardinalatus dignitatem, vt acciperet vix adduci potuit, deinde in Vrbem accitus, ſingulari opum atque gloriæ contemptu, & vitæ moderatione, omnibus admirationi fuit, vixitque annos 63. obijt X. Kalend. Nouemb. 1571. Monachi Claravallenſes poni curarunt.

1572. Anno millesimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, occiſus eſt ab hęreticis Cornelius Poldermans, religioſus S. Saluatoris Ant-

Antvverpienſis, rector monaſterij in Ziri-zæa opido Zelandiæ.

CONGREGATIO FVLIENSIVM *monachorum, inſtituti Ciſtertienſis reformati, vulgò* Fueilhans.

SExcenta amplius eaque illuſtria in regno Galliæ ſunt monaſteria, Abbatiali dignitate illuſtria. Sed vnum hoc in primis omnes boni deplorant, pleraque non regulares, ſed Commendatarios, vt vocant Abbates habere. Quo fit, vt non modò rigor diſciplinæ monaſticæ ſoluatur, ſed & prædia ac vectigalia annua paulatim diminuuntur, ac pereunt. Exſtat ea de re inſignis libellus monitorius Ioannis Fileſaci, Theologi Pariſienſis, nobis amiciſsimi, quem *Eccleſia Gallicana veteris* (adde, *& noua*) *Querelam* inſcripſit.

Cæterùm Abbates inter Commendatarios noſtra ætate fuit & Ioannes Barrerius, Gallicè *de la Barriere*, vir nobili genere natus: cui quidem cùm Abbatia Fulienſis, inſtituti Ciſtertienſis in diœceſi Riuenſi, prouinciæ Toloſanæ, ſita, in Commendam, vt vocant, eſſet collata, animum reuocans, cœpit de monaſtica vita amplectenda feriò cogitare. Itaq; ex Commendatario factus Abbas regularis, ſuos primùm ſodales ac monachos ad veteris diſciplinæ obſeruantiam, ex-

emplo ac monitis reuocauit. Secuti mox alij: adeò, vt quidem vt *Henricus III.* Galliæ & Poloniæ Rex, increbreſcẽte fama cõmotus, ipſum *Barrerium* ad ſe euocarit. Venit itaque
1587. Lutetiam cũ ſocijs ſexaginta an. 1587. & à Rege ipſo in ſaltu Vicenarum die XI. menſis Iulij (qui S. Benedicti tranſlationi ſiue venerationi ſacer eſt) humaniſsimè exceptus eſt. Inde cùm ſuis VIII. Septembris (qui Deiparæ natalis) migrauit ad monaſteriũ ipſis ab eodem Rege extructum in Pariſienſi S. Honorati ſuburbano, haùd procul à cœnobio Capucinorum.

1600. Obijt autem *Barrerius* Romæ anno Chriſti M. DC. ætatis ſexto & quinquageſimo, non ſine opinione ſanctitatis. Multa vir bonus à ſuis paſſus fuit, vt & olim Sanctus Benedictus, & Sanctus Robertus Abbas I. Ciſtertienſis, alijque piarum familiarum reformatores.

Geſtant autem Fulienſes habitum prorſus candidũ, nudis incedunt pedibus, vt Capucini & Carmelitæ diſcalceati; abſtinent ab eſu carnium ac piſciũ, non habent Abbates, ſed Priores tantummodò: odeium ſiue chorum habent retrò poſt aram ſummam.

Cùm anno milleſimo ſexcenteſimo decimo Lutetiæ verſarer, præerat ibi Fulienſibus R. P. N. GVLONIVS, Nicolai Gulonij, Græcarum litterarum Regij, olim Lutetiæ

tiæ Profeſſoris filius, Græcè & ipſe doctiſſimus, qui Dionyſij Areopagitæ opera ex Græco Gallica reddidit, & alia varia publicauit.

CATALOGVS COENOBIORUM reformatorum, inſtituti Fulienſis.

Abbatia Fulienſis, Gallicè *des Fueilhans*, in diœceſi Riuenſi, prouinciæ Toloſanæ, vulgò *Rieux, en Languedoc*.

Pariſienſe monaſterium, in ſuburbano S.Honorati.

Fulienſe monaſterium in Normannia.

Fulienſe monaſterium in Britannia minore, in Ducatu de *Rayz*.

Fulienſe monaſterium, apud Taurinum, Pedemontani Principatus metropolim.

Romanum Fulienſe monaſterium, haud procul à S.Maria Maiore.

Fulienſe monaſterium, in diſtrictu Toloſano.

Fulienſe monaſterium, in diſtrictu Burdigalenſi.

Fulienſe monialium cœnobium, *des Fueilhantines*, ad muros vrbis Toloſanæ, & alia.

Choppinus lib.1.Monaſt. tit.1.§.14.ſcribit à Clemente VIII. conſtitutum, vt Abbas, ſeu Prior congregationis Fulienſis tantum-

modò ſit triennalis; diplomate anno 1602. Maij, die 4. dato: quod & obſeruatur in congregatione Caſalis Benedicti. De Fulienſis monaſterij origine, vide plura anno 1169.

Arnold. Vionus, Ligni vitæ lib. 1. cap. 50. meminit cuiuſdam *Ordinis Reformati S. Bernardi*: cuius ordinis monachos dicit Romæ agere in baſilica *S. Potentiana*, eodem accitos à S. Carolo Borromæo, Card. & Archiepiſcopo Mediolanenſi. Sed hi an Fulienſes ſint, ignoro.

Hubertus Rudolphus, ord. Ciſtercienſis, vir diſertus in Belgio floret, qui ſcripſit Panegyricum de rebus geſtis Alexandri Farneſij, Parmæ Placentiæq; Ducis, Duaci & Coloniæ excuſum.

Anno 1198. Ioannes d'Aſsignies, Subprior Abbatiæ Cameronenſis in Hannonia vitas Sanctorum ordinis Ciſtercienſis Gallico idiomate redditas, typis Duacenſibus euulgat. Idem anno 1603. alterum volumen publicauit de vitis plurimorum venerabilium ſanctitatisq; opinione illuſtrium Monachorum, Monialium, ac Conuerſorum dicti ordinis: daturus & plura ſuo tempore, vt ſperamus.

Anno 1599. Robertus Henrion, patriâ Gemblacenſis, Abbas Villarieñſis, oſſa B. Arnulfi Cornibout, B. Iulianæ Cornelienſis, aliorumque in ſacellum egregiè à ſe adornatum

tum transfert. Idem templum alioqui auguſtiſſimum ſtatuis XII. Apoſtolorum, itemque Euangeliſtarum & Eccleſiæ Doctorum egregiè adornauit: fontem quoque ex marmore in ipſo eodem templo excitauit, & Bibliothecæ inſtituendæ atrium à fundamentis exſtruxit.

Anno 1611. Balduinus Morean, religioſus Camberonenſis typis Duaci publicat Regulam S. Benedicti cum XXX. exemplaribus manuſcriptis collatam. A quo & plura ad Ordinis Benedictini atque inſtituti Ciſtertienſis illuſtrationem facietia exſpectamus.

MONACHORVM INSTITVTI CISTERCIENſis cœnobia, apud Belgas & Germanos inferiores.

IN BRABANTIA.

V*Illarium*, ſecundo lapide ab opido Geblaco, Abbatia diœceſis Namurcenſis, anno 1147. fundata. Villers.

Locus S. Bernardi, ad Scaldim flu. ſecundo ferè lapide ab Antuerpia, Abbatia diœceſis eiuſdem, anno 1230.

Niſella, ſeſquimilliari ab opido Niuella, Abbatia diœceſis Namurcenſis. Niſelle.

S. Saluatoris cœnobium, vulgò *Pein Pots*

à fundatore nuncupatum, in vrbe Antvverpienſi; Prioratus, vt vocant, diœceſis eiuſdem, anno 1333.

MONIALIVM ORDINIS Ciſtertienſis cœnobia.

Camera B. Mariæ, Abbatia diœceſis Machlinienſis, apud Bruxellam. Cameren.

Aquiria, quarto ferè miliari à Bruxella, Abbatia diœceſis Namurcenſis. Aiwiers.

Rameia, ſecundo ferè lapide ab opido Geldonia, Abbatia diœceſis Namurcenſis.

Parcum Dominarum, anno 1215. primo lapide à Louanio, Abbatia diœceſis Machlinienſis. Vrouwen Perck.

Vallis Florida, ſecundo lapidè à Louanio, verſus VVauriam, Abb. diçceſ. Mechlinienſ. Vaulxflori.

Vallis Virginum, apud Lintras vicum celebrem, miliari vno à Thenis opido, Abbatia diœceſis Mechlinienſis. Maegdendael.

Nazarethum, ad muros opidi Lirani, Abbatia diœceſis Antvverpienſis. Nazareth.

Argentonium, primo lapide à Gemblaco, Abbatia d. Namurcenſis. Argenton.

Vallis Ducis, ſecundo miliari à Louanio, Abbatia diœceſis Mechlinienſis. Hertoghendael.

Bin-

Binderenſis Abbatia, nobilium Virginum, aliàs *Locus Imperatricis*, diœceſis Siluiducenſis, apud Helmondam Campaniæ Brabantiæ opidum. Binderen.

Vallis Roſarum, primo lapide à Mechlinia ad Netham fluuium, haud procul à Duffelia pago, Abbatia diœceſis Mechlinienſis. Roſendaele.

Vallis S. Bernardi, in opido Diſtemio, Abbatia d. Mechlinienſis, anno 1235.

Rotthemenſis Abbatia, diœceſis eiuſdem, miliari vno à Diſtemio. Rotthem. Vide anno 1235.

VValteri Brania, Abbatia diœceſis Namurcenſis, primo lapide ab Hallis Hannoniæ opido. Vide anno 1229.

Vinea noſtræ Dominæ, in vrbe Louanienſi, Abbatia diœceſis Mechlinienſis, vulgò *SubCaſtrenſe* monaſterium dicitur, anno 1518.

IN DVCATV LIMBVRGENSI.

Portzetum, apud Aquaſ-Grani, Abbatia Virginum, d. Leodicenſis. Borzet.

IN DVCATV LVCEBVRGENSI.

Aurea Vallis, tertio ferè lapide ab Iuodio opido, Abbatia diœceſis Treuerenſ. Orual. anno 1131.

S. Remigij, Abbatia, dimidio miliari à Rupe-Forti, vulgò *Rochefort*, opido.

VIR-

VIRGINVM MONASTERIA.

Bona Via, non procul à Luceburgo, Abbatia d. Treuerenſis. Gallis *Bonvoy*, Teutonis Bonewech.

Differdingenſe monaſterium, ſecundo miliari à Luceburgo. Dieſſerdinghe.

Clarus Fons, apud Arlunum opidum.

IN DVCATV GELDRIAE.

MONIALIVM COENOBIA.

Ruremundenſe monaſterium, diœceſis eiuſdem, Virginum nobilium.

Vallis Comitis, monaſterium diœceſis eiuſdem. Grauen Dael. Vide anno 1229.

IN FLANDRIAE COMITATV.

Dunenſis Abbatia, diœceſis Iprenſis primo lapide à Furnis opido. Ten Dunen / anno 1137.

Laudenſis Abbatia, diœceſis Tornacenſis, primo lapide ab Inſulis Flandriæ vrbe. Lo.

Bodeloenſis Abbatia, diœceſis Gandenſis, in eadem nunc vrbe. Baulo.

Thoſana Abbatia, diœceſis Brugenſis. Doeſt.

VVarſchotanum cœnobium, Prioratus anno 1449. fundatus. Waerſchoten.

VIR-

Digitized by Google

VIRGINVM MONASTERIA.

Sparmalia, apud Brugas Flandriæ vrbem, Abbatia diœceſis eiuſdem.

Bellum Pratum, ad Scarpum flu. in vrbe Duacenſi, Abbatia diœceſis Atrebatenſis.

Beau Pré. Vide anno 1228.

Bellum Pratum, ad Teneram flu. apud Gerardi-Montem Flandriæ opidum, Abbatia diœceſis Machlinienſis.

Bellum Pratum, ad Liſam flu. inter Aeriam & Armentarium opida, Abbatia diœceſis Audomarenſis.

Roſta, Abbatia diœceſis Machlinienſis, in agro Aloſtano. Roſten.

Marquetta, ſeſquimiliari ab Inſulis Flandrorum vrbe, Abbatia diœceſis Tornacenſis. Market.

Groningenſis Abbatia, diœceſis Tornacenſis, apud Curtracum opidum. Groeninghen. anno 1239.

Flinenſis Abbatia, ſeſquimiliari à Duaco, in diœceſi Atrebatenſi. Flyn.

Sylua Nonnarum ſiue *Monialium*, apud Gandauũ, Abbatia diœceſis eiuſdem. Nonnenboſch.

Biloka in vrbe Gandenſi. Biloke.

Hagenſis Abbatia, apud Axellam Flandriæ opidum, in diœceſi Gandenſi. Ter Haghen.

Dori-

Doriſella, Abbatia diœceſis eiuſdem, ſeſquimiliari à Gandauo.

Oiſterloa, Abbatia diœceſis eiuſdem, ſecundo ferè miliari à Gandauo. Ooſterloo.

Vallis Virginum, in opido Aldenardenſi, Abbatia d. Mechlinienſis.

VVeuelgemium, Abbatia diœceſis Tornacenſis, inter Curtracum & Menenas opida, nunc in vrbe Cortracenſi ſita. Weuelghem.

Rauesberga, apud VVatanum, Abbatia d. Audomaropolitanæ.

Suiuecana Abbatia, ad muros Teneramundæ opidi, in diœceſi Gandenſi. Swyueck.

VVerckenſis Abbatia anno 1178. fundata, vt volunt, diœceſis Brugenſis, vel Audomaropolitanæ. Wercken.

VVoſtinienſis Abbatia, diœceſis Audomaropolitanæ, apud Claromariſcum.

Sartenſis, vel *Salcetenſis* Abbatia, in d. Tornacenſi, anno 1233. De Sart.

Inſulenſia, Cortracenſia, itemque Cominienſe Xenodochia. *Lille, Cortryck, Comines.*

IN ARTESIA.

Clara Palus, vulgò *Claromariſcus*, Abbatia diœceſis Audomaropolitanæ. Clermare. anno 1137.

Claricampus ſeu *Ceruicampus*, Abbatia diœ-

Digitized by Google

œceſis Ambianenſis, vel Bononienſis, in agro Heſdinenſi, anno 1137. Cercamp.

VIRGINVM MONASTERIA.

Viridarium B. Mariæ, medio ferè itinere inter Duacum & Cameracum, Abbatia diœceſis Cameracenſis. Bergier.

Annetenſis Abbatia, diœceſis Atrebatenſis.

L'Abbaye de la Braille lez Annay.

Victoria, diœceſis eiuſdem Abbatia.

IN HANNONIA.

Camberona, Abbatia diœceſis Cameracenſis, tertio lapide à Montibus Hannoniæ. Cambron/ anno 1148.

MONIALIVM COENOBIA.

Fontinella, apud Valentinianas Hannoniæ vrbem, Abbatia d. Cameracenſis.

Locus Spinoſus B. Mariæ, apud Montes Hannoniæ, Abbatia diœceſis eiuſdem. Spinlien.

Oliua Abbatia, diœceſis eiuſdem, inter Niuellam Brabantiæ & Binchium, Hannoniæ opidum. Oliue.

Refugium noſtræ Dominæ, in opido Atenſi, Abbatia diœceſis eiuſdem.

Condatenſe monaſterium, *Condé*.

IN

IN HOLLANDIA.

Corona B. Virginis, apud Heuſsdenum oppidum, Prioratus diœceſis Siluiducenſis.

Iſelſteinenſe monaſterium, intra muros Iſelſteinenſis opidi, Prioratus poſteà tranſlatus in Geyn locum vicinum.

Portus B. Mariæ, in VVarmonda. Prioratus.

Porta Cœli, apud Harlemum vrbem, Prioratus diœceſis Harlemenſis.

Aqua Frigida, Prioratus. Couwe Water.

Lego & Prioratum fundatum apud Hagam Comitis: fortaſſe eſt *VVateringia*, in qua qua fuerunt quinque aut ſex Priores ex monaſterio S. Saluatoris Antvverpienſis euocati.

VIRGINVM COENOBIA.

Levvenhorſtum, Abbatia nobilium Virginum. Leewenhorſt.

Loſdunum, nobilium itidem Virginũ Abbatia, ſecundo lapide ab Haga Comitis. Loſdunnen.

Præter hæc à me commemorata, legi alibi, & iſta monaſteria in Hollandiæ tractu, *Aquam Frigidam*.

Donckam B. Mariæ, apud Heuſdenum opidum anno 1439. *Galilæam*, apud Monachodamum

damum opidum, anno ferè 1465. inſtitutam, & quartum apud Hagam Comitis, olim exſtitiſſe.

IN ZELANDIA.

Ziriztæanum monaſterium, in opido Zirizæa.

IN COMITATV NAMVRCENSI.

Grande Pratum, Abbatia diœceſis Namurcenſis. *Grand Pré.*

Iardinetum, apud VValcuriam opidum, Abbatia diœceſis eiuſdem.

Boneſſia, Abbatia diœceſis eiuſdem, anno 1240.

Molinenſis Abbatia, eadem in diœceſi, inter Namurcum & Dionantum opida, ad Moſam flu.

VIRGINVM COENOBIVM.

Saleſinenſe, haud longè à Namurco, Abbatia diœceſis eiuſdem, *Salſine*. Vide anno 1481.

Soriamontana Abbatia. Sorïamont.

IN FRISIA OCCIDENTALI.

Clarus Campus, Abbatia.

Floridus Campus, ſiue *Monaſterium Vetus*, dimidio miliari à Bolſuardia opido.

Gerckenſis, Abbatia. Gercken.

VIRGINVM COENOBIVM.

Aula Dei, ſiue *Monaſterium Nouum*, apud Snecam oppidum.

IN MECHLINIENSI PROVINCIA.

Muſinenſe Virginum itidem monaſterium olim extra, nunc intra muros vrbis Mechlinienſis; Prioratus diœceſis eiuſdem. Muyſen.

IN VLTRAIECTINA PROVINCIA.

S. Seruatÿ Abbatia, in vrbe Vltraiectina, diœceſis eiuſdem. Vide anno 1233.

Vallis B. Mariæ Virginis, in ſuburbano Vltraiectino, & diœceſi eadem. Vide anno 1233.

IN TRANSISALANA PROVINCIA.

Honepenſis Abbatia, apud Dauentriam diœceſis eiuſdem. Honep.

Zibekeloenſe monaſterium, in Trentana ditione. Zibekelo.

IN GRONINGANA DITIONE.

Menterna, vulgò *Griſiorum monachorum* cœnobium. Griſe Monicken.

Aduuerdenſe monaſterium. *Aedvvert*, vel Groot Auwert.

VIR-

VIRGINVM MONASTERIA.

Eſſena, Abbatia, apud Groningam. Eſſen.

Griſiarum monialium cœnobium. Griſe Frauwen.

S. Annæ cœnobium.

Trimontanum cœnobium. Trymont.

Præter hæc lego in ditione Groningenſi, & hæc bina monaſteria, *Scholam Dei*, & *Marhuſam*, olim floruiſſe: de quibus, an virorum, aut virginum fuerint, aut nunc eadem ſint fortaſsè cum memoratis, non habeo dicere.

IN CAMERACENSI DITIONE AC DIOECESI.

Valcellenſis Abbatia, ſecundo miliari à Cameraco, anno 1131. Vaucelles.

IN LEODICENSI DITIONE AC DIOECESI.

Alna, ad Sabim flu. primo lapide à Tudinio opido. *Aſne*, vulgò *Ane*.

Vallis S. Lamberti apud Leodium, *Val S. Lambert*.

Vallis Dei, inter Leodium & Aquaſ-Grani. *Val Dieu*.

VIRGINVM COENOBIA.

Herckenroda, Abbatia, miliari vno ab Haſſeleto opido. Herckenroy.

Vallis Benedicta, Abbatia, apud Leodium, *Vaulx Benoit*.

Roberti Mons, Abbatia, apud Leodium, *Robermont*.

Hochtenſis Abbatia, Hocht / apud Traiectum Moſæ.

Orientis Abbatia, apud Trudonopolim. Orienten.

Viueniſſa. *Viueniſſe*.

Becana Abbatia, medio miliari à Trudonopoli. Beke.

Vallis B. Mariæ, apud Huyum. *Val noſtra Dama*.

Vetus Vinea, inter Leodium & Traiectum.

Abbatia *de Aquis*, ſub Abbatia Alnenſi.

IN DIOECESI COLONIENSI.

Heiſterbacenſis Abbatia. Heyſterbach.

Veteris Campi Abbatia, apud Rhenoberckam, auctore Frederico Primo, Archiepiſcopo.

Veteris Montis Abbatia, in Ducatu Montenſi, ſub Brunone III. Archiepiſcopo.

Mons Sancti VValpurgis, Prioratus, Bottenbroich.

Silua B. Mariæ, propè Heimbach.

MONIALIVM COENOBIA.

S. Apri, in vrbe Colonienſi.

S. Maria

S. Maria in Horto, ibidem.

Speculum Beatæ Mariæ, vulgò Seyen. ibidem.

Houen & Burnenich, prope Tulpetum. Wennickhouen.

Fons Beatæ Mariæ in Nemore, prope Burbach.

Prata Beatæ Mariæ iuxtà Bruilam, vulgò Benden.

Blaetzem / Sweinem / Syſſendorff / Eppickhouen / Gnadendall.

AVCTARIVM.

S. *Bernardus* Abbas Claræuallis in Alemannia, de mandato Papæ crucem prædicando virtutes multas, & magnas fecit; inter quas & mortuum reſuſcitauit. Cùm autẽ eſſet in via ad vrbẽ Spiram, tantùs beato viro venit obuiam confluxus, vt Conradus Imperator, depoſita chlamyde, cum populus eum opprimeret, in proprias vlnas ſuſcipiens de Baſilica eum aſportaret: qui Spira per Coloniam venit Leodium: in qua via multi nobiles per manum ipſius ſe Domino mancipauerunt. Apud Leodium verò iuxta Eccleſiam B. Lamberti, in prato quod dicitur Epiſcopi, publicè prædicauit, & in ipſo palatio, in præſentia Epiſcopi Henrici tria miracula fecit. Qua occaſione Epiſcopus 1145.

Alnenſis Abbatia. Henricus compunctus, Abbatiam de Alna fundauit. Ita legitur in magno Chronico Belgico.

Ceterùm Bernardi mira virtute & ſanctitate, ita eſt ordo Ciſtertienſis auctus, vt dimiſsis in totum terrarum orbem monachis & alumnis, centum ſexaginta monaſteria viuus ipſe Bernardus exſtruxerit. Ex hoc ordine duo Romani Pontifices prodierunt, *Eugenius III. Benedictus XII.* ſicut ex ordine Cluniacenſi quatuor Pontifices, Romani extitiſſe perhibentur, *Gregorius VII. Vrbanus II. Calliſtus II. Clemens VI.* Et quia vterque ordo Cluniacenſis & Ciſtercienſis S. Benedicti regulam ſeruat: ideo ij Romani Pontifices, qui ex vtroque ordine aſſumpti, & electi ſunt, dicuntur etiam ex ordine S. Benedicti delecti. Et hinc factum eſt, vt Trithemius ſolum numeret duodeviginti Romanos Pontifices ex S. Benedicti ordine creatos, cum tamen alij referant viginti quatuor, alij viginti octo, alij triginta. Nam preter eos, quos recenſet Trithemius, alij numerant *Benedictum I. Pelagium II. Leonem II. Gregorium II. Gregorium III. Paſchalem I. Gregorinm IV. Sergium IV. Ioannem XIX.* Vt mirum non ſit, quod dicitur, Romanam Eccleſiam gubernatam fuiſſe per trecentos annos à Pontificibus ex S. Benedicti ordine aſſumptis; imò quidam aiunt per quingentos annos id

nos id factum fuiſſe. Ita Azorius Inſtitutionum Moralium lib. 12. cap. 21. qui tamen per errorem Ciſtercienſibus Clementem VI. Papam adſcribit, cùm primùm fuerit monachus Caſæ Dei, in diœceſi Claromontenſi, & poſtea Abbas Fiſcanenſis in Normannia, congregationis Cluniacenſis: vt teſtatur Arnold. VVionus, Ligni vitæ lib. 2.

B. Amedeus Epiſcopus Lauſanenſis.

Circa annum Chriſti 1148. floruit *B. Amedeus*, ex monacho ordinis Ciſtercienſis, Epiſcopus Lauſanenſis: qui ſcripſit Homilias octo pijſsimas ac doctiſsimas de Virgine Deipara, recognitas per Richardum Gibbonum, Soc. Ieſu Theologum, & Audomaropoli an. 1613. typis editas. Idem Gibbonus opera varia *Alredi* Rhieuallenſis Abbatis, hinc inde conquiſita, penes ſe adſeruat, quæ vt breui lucem videant, pij omnes vehementer optant.

Vide ſupra an. 89.

Eius vita ſeries.

Ceterùm Amedeus, caſtro Coſta, iuxta Viennam Allobrogum, magni Antonij oſſibus venerabundam, nobilibus parentibus, originem duxit. Hic morum integritate, litterarum inſtitutione, atque virtutum decore ſtirpis generoſitatem longè ſuperans, in cœnobio Altæcumbæ Ciſtercienſem profeſſus ordinem, Abbas præficitur. Succedentibus inde temporibus, circiter annum Domini Natalis quadrageſimum quartum, ſupra milleſimum centeſimum, Lauſannenſis

Eccleſiæ Epiſcopus ordinatus, multa eidem Eccleſiæ impendit beneficia. Amedeum Gebennarum Comitem, qui arcem munitiſsimam ad expugnandam ciuitatem Lauſannenſem in eminentiori, propè vrbis mænia, loco, per longam obſidionem erexerat, non tam armis quam prudentia deuictum, machinam ipſam funditus euertere compulit, Eugenium Tertium Pont. Max. Conradum Secundum, Fredericum Primum Imperatores Auguſtos, & ad indulta iam dudum confirmanda, & ad noua inſtauranda Eccleſiæ ſuæ priuilegia fauentiſsimos habuit. Huic Fredericus in hæc verba ſcribere ſolitus eſt: *Cariſsimo Cancellario noſtro Amedeo Lauſannenſi Epiſcopo, qui genere & nobilitate nec non fidelitate nobis aſtrictus cognoſcitur, &c.* Frequens illi mora apud Ponidonem, cœnobio Altæcriſtæ vicinum, vt qui eiuſdem religionis, & habitus monachus eſſet. Fama eſt illum in die ſanctæ Agnetis natum, imbuendum litteris traditum, ordinem Profeſſum, & Abbatem factum. Quare eidem virgini deuotior, ſacra illius duplici feſto inſtituit per totam Lauſannenſem diœceſim peragenda. Scripſit homilias in laudem Chriſtiparæ Virginis octo, tam dicendi ſuauitate, quàm myſteriorum profunditate delitioſas. Quas cum nulli adhuc mortalium manifeſtaſſet, ſollicitatur tamen à ſorore ſanctimoniali virgine re-

ne re-

ne religioſa, quatenus cum ea iucundum illud munuſculum communicaret. Annuit frater ſororis deſiderio, ea conditione, vt & illa iucundum quoq; munuſculum, quod à glorioſa virgine accepiſſet, viciſsim impertiret. Mittit continuò ſoror laneam chirothecam, quæ in præſentem diem Lauſanne in Reliquario ſacroſanctæ Virginis Mariæ viſitur, quamplurimis laudata miraculis. Vnde coniectura facilis, quantum vtrique viuenti adhuc cum diuis commercium. Præfuit Lauſannenſi Eccleſiæ annis quatuordecim; mortuus illic, & ante altare ſanctæ crucis in æde Diuæ Mariæ ſepultus.

Ex hac vitæ ſerie facilè conijciat Lector, noſtrum Amedeum alium eſſe ab Amedeo illo aliàs Amatore, vel Ioanne Meneſio, de quo Henricus VVillot in ſuis Athenis orthodoxorum Sodalitij Franciſcani, cui & Homilias illas octo de Deipara tribuit. Etenim Amedeus noſter ſub Eugenio Tertio Summo Pontifice, ac Friderico Primo Imperatore, vixit; Amedeus verò ſub Paulo Secundo, ac Sixto Tertio Romanis Pontificibus; inter quos & Eugenium Tertium, non pauciores ferè quàm trecēti anni interuenerunt. Siquidem Eugenius vixit circa annum 1146. cum creatus Pontifex 1145. obierit anno 1153. Paulus verò ac Sixtus floruerunt anno 1471. quo ille mortuus, iſte ad Summum

Pontificatum euectus eſt. Auctorem habeo Panuinium in Chronico Romanorum Pontificum. Mitto, quod noſter Amedeus fuit ex familia Ciſtercienſi, ac Amedeus vel Amator ex Franciſcana. Denique Amedeus fertur fuiſſe Epiſcopus Lauſannenſis; de Amedeo haud conſtat, Epiſcopus nec ne fuerit. Quod ſi patria nonnihil ad hanc rem facit, vt debet certe plurimum, Amedeus Allobrox, Amadeus Hiſpanus fuit: quod & Meneſij nomen & Comitum Villæ Regiæ familia ſatis indicat. Quæ cum ita ſint, maneant Amedeo noſtro ſuæ homiliæ, donec aliquis meliora adferat, quibus contrariam ſtabiliat huic noſtræ ſententiam: quod vbi fecerit, libenter veritatis amatores cedemus veritati, quam vnam quærimus, contentiones non fouemus.

1153. Raimundus Berengarius, Rex Aragonię & Comes Barcinonenſis, anno 1153. illuſtre monaſteriũ Populetum, vulgò *Poblete* nuncupatum, cœpit ædificare: quod filius eius atq; in regno ſucceſſor Alfonſus Sextus poſtea perfecit; qui & Populeti voluit ſepeliri. Atq; ex eo tempore Populetum fuit tumulus ordinarium Regum Aragoniæ. Eodem in loco monachus fuit Ferdinandus, Raimundi Regis filius, qui Abbas cœnobij *Montaragon* dicti demum obijt. Hæc tradit Stephanus Gaubayus in Hiſtoria Hiſpaniæ lib. 32. cap. 2. & 3.

Circa

Circa annum Chriſti 1194. Bertholdus Abbas ord. Ciſtercienſis Chriſti doctrinam in Liuoniam prædicauit, factus illius Prouinciæ Epiſcopus poſt B. Mainardum. Ita Chronicon magnum Belgicum. 1194.

Alfonſo Regi Aragoniæ an. 1196. defuncto, ſucceſsit in regno filius Petrus, cognomento Catholicos, qui inter alia monaſteria fundauit vnum ord. Ciſtercienſis *Eſcarpe* nuncupatum ad fl. Cinçam, haud procul ab Ilerda vrbe Epiſcopali: teſte Gaubayo libr. 32. Hiſt. Hiſpaniæ, cap. 4. 1196. *Eſcarpe.*

Anno 1200. Guido Abbas Ciſtercienſis cum quibuſdam Coabbatibus Romam proficiſcitur; & non multò poſt Innocent. Papa creauit eum Cardinalem & Epiſcopum Preneſtinum, miſitque ipſum Legatum in Alemanniam: de quo vide Cæſarium. 1200.

Anno 1201. Ioachim, Abbas quondam de Miracio, ord. Ciſtercienſ. in Italia moritur ſcripſit is in Apocalypſin, & in Prophetas. 1201.

Vallis S. Lamberti fundatur ab Hugone epiſcopo Leodienſi, adiuuante Comite Claramontano.

Guido, ex Abbate Ciſtercienſi, Legatus Apoſtolicus clerum Leodij reformat.

Anno 1203. cœpit prædicatio feruens contra Albigenſes per Arnoldum Abbatem Ciſtercienſem, alioſque Abbates eiuſdem ordinis, idque de mandato Summi Pontificis. Ita 1203.

cis. Ita dictum Chronicon.

Vallis Dei, & Vallis S. Mariæ per Comitem de Muha, in diœceſi Leodienſi fundantur.

Conradus Card. & Legatus Apoſtolicus Leodium venit, ibiq; Vallem Benedictam, recens fundatam, circa Pentecoſten conſecrauit.

1218. Anno 1218. Iacobus Primus illius nominis Rex Aragoniæ ordinem Equitum B. *Zaidia in Hiſp.* Mariæ de Mercede, & Redemptione captiuorum inſtituit. Huius vxor Tereſia monaſterium ordin. Ciſtercienſis, in loco *Zaidia* nuncupato, circa Valentiam, inſtituit: in quo monaſticen profeſſa ſanctiſsimè obijt. Corpus illius ad hanc vſque ætatem perdurat integrum: teſte Gaubayo lib. 32. cap. 6.

1225. Gerardus Othoni patri ſuo defuncto anno 1225. in Comitatu Geldriæ ſuccedit. Qui quidem Gerardus, cum matre ſua Richarda fundauit monaſterium Virginum ord. Ciſtercienſis, in vrbe Ruremundenſi ad Moſam fl.

1230. Grande Pratum fundatur in Comitatu Namurcenſi, ex prædijs Philippi Comitis Namurcenſis. Primus Abbas fuit Ioannes monachus Villarienſis.

Moniales de ſoliers, prope Huyum ditionis Leodienſis opidum, aſſumunt habitum Ciſtercienſem, relicto Auguſtiniano.

Idem

Idem fecerunt moniales Vineæ noſtræ Dominæ, à Rainero Priore Belli fageti fundatæ.

Robertus Epiſcopus Leodienſis, inſtinctu Ioannis Decani S. Lamberti, obtinuit à Capitulo generali Ciſtercienſi, vt per totum ordinem S. Lamberti feſtum celebraretur. dictus Robertus ſepultus eſt apud Claram Vallem.

Anno 1440. temporibus Concilij Baſileenſis florebat *Hermannus* monachus in Campo, ord. Ciſtercienſis cœnobio, cuius ſcripta recenſet Trithemius, lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. 1440.

Anno 1526. typis editũ eſt Pariſijs Miſſale ordinis Ciſtercienſis: in quo ſub finem habetur iſte Catalogus Sanctorum ac Beatorum eiuſdem ordinis. 1526.

Robertus, primus Ciſtercij Abbas.

Albericus viceſimus ſextus Ciſtercij Abbas.

Stephanus tertius Ciſtertij Abbas.

Rainaldus Ciſtercij Abbas.

Gotzuinus Ciſtercij Abbas.

Faſtredus Ciſtercij Abbas.

Gillebertus Ciſtercij Abbas.

Alexander Ciſtercij Abbas.

Conradus primùm Villarij, poſtea Claræ-Vallis, demùm Ciſtercij Abbas; cuius vt in libro Tho. Cantipratani de apibus habetur,

tur, digiti nocte ſtudendo pro candelâ lucebant.

Ioannes duo Ciſtercij Abbates.

Bernardus monachus Ciſtercij, quam prælatus Stephanus Abbas ad religionem ſuſcepit, & eum primum Clareuallis Abbatem creauit, & miſit.

Hugo Ciſtercij monachus, qui poſtea fuit primus Pontigniaci Abbas.

Ioannes Ciſtercij monachus: poſtmodum Bonæuallis Viennenſis Abbas.

Gerardus, B. Bernardi frater Germanus, pridem miles ſtrenuus, deinde Ciſtercij monachus; poſtmodũ Claræuallis cellararius.

Hubertus Ciſtercij monachus.

Guerricus Ciſtercij monachus, poſtea Igniaci Abbas.

Hugo Ciſtercij monachus.

Stephanus Ciſtercij monachus.

Balduinus Ciſtercij monachus.

Algothus Ciſtercij monachus.

Rogerius Ciſtercij monachus, poſtea Elancij Abbas.

Ioannes Ciſtercij Abbas, poſtea Valentinenſis Epiſcopus.

Alanus, Doctor Famoſus, Ciſtercij humilis Conuerſus; in cuius clauſtro feliciter, iuxta portam Eccleſiæ, requieſcit.

Qui duo, qui ſeptem, qui totum ſcibile ſciuit. Scripſit contra Albigenſes, VValdenſes, & Iudæos.

Alij

Alij quoque innumerabiles ex Ciſtercio, ad aliorum fundationem monaſteriorum huius ordinis per orbis latitudinem miſsi fuerunt viri ſancti; de quibus ſecundo libro vitæ beatæ Bernardi multa habentur.

Hugo Pontigniaci Abbas, poſtmodum Antiſiodorenſis Epiſcopus.

Burchardus Pontigniaci monachus, poſtea fontis Ioannis & Caroliloci Abbas, demum Bituricenſis Archiepiſcopus.

Bernardus Claræuallis Abbas, ex Ciſtercio ad Claramuallem miſſus.

Malachias Hiberniæ Primas, cum beato Bernardo in Clarauallе corde & animo monachus.

Robertus Claræuallis Abbas, ex Dunis, Flandriæ monaſterio.

Gaufridus Claræuallis Abbas, olim beati Bernardi Notarius.

Pontius Claræuallis Abbas, ex Grandiſilua.

Gerardus Claræuallis Abbas, & Martyr, ex foſſa noua.

Petrus monachus, Claræuallis Abbas.

Henricus Claræuallis Abbas, poſtea Cardinalis.

Hubertus Claræuallis Prior.

Gaudefridus Claræuallis monachus, poſtea Singonenſis Epiſcopus.

Bernardus Claræuallis monachus, poſtea ſancti

ſancti Anaſtaſij Abbas, demum Eugenius Papa tertius.

Siluanus Claræuallis monachus, per Dominum Cæleſtinum Papam canonizatus.

Iacobus Furnecij monaſterij Bolbonæ monachus; poſtea Papa Benedictus XII.

Petrus Stamereij Abbas, & poſtmodum Tarentaſienſis Archiepiſcopus; cuius ſacrum corpus in monaſterio Bellæuallis quieſcens, quotidianis fulget miraculis.

Chriſtianus in Eleemoſyna monachus, Toreneti Abbas, poſtea Toloſanus Epiſcopus; vt in Toloſanorum geſtis habetur.

Ioannes Bonæuallis Viennenſis Abbas; poſtmodum Valentinenſis Epiſcopus.

Hugo Bonæuallis Viennenſis Abbas.

Oglerus Locedij Abbas.

Guerricus Igniaci Abbas.

Garinus in Alpibus Abbas.

Reginaldus Fugniaci Abbas.

Froilanus in Mereola Abbas, poſtea Legionenſis Epiſcopus.

Martinus Vallis Paradiſi in Caſtella Abbas.

Stephanus Obaſuræ Abbas.

Brekinus VValkeidæ monachus, poſtmodum Sichem Abbas.

Bertrandus Grandiſiluæ Abbas.

Hugo noui monaſterij Abbas.

Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Ed-

& Edmundus eius ſucceſſor longo tempore habitum religionis in Pontigniaco tulerunt; vbi Edmundus ipſe religiosè quieſcens euidentiſsimis continuè fulget miraculis.

Guillelmus quondã S. Theodorici Abbas, magnæ partis vitæ B. Bernardi compilator, in habitu religionis vitam finiuit.

Arnulphus quondam S. Nicaſij Abbas, monachus in Signiaco.

Gerardus quondam S. Floriaceni Abbas, monachus in Signiaco animam Domino reddidit.

Guiſelbertus in Bebenhuſen Prior.

Stephanus Obaſinæ Prior.

Helinandus ſolennis hiſtoriographus in frigido monte monachus.

Ioannes quondam Dominus de monte mirabili, in Longoponte monachus cuius miri actus leguntur.

Habridus in Reiualle monachus.

Rolandus iu Cheſiriaco monachus.

Dauid in Haimelrode monachus.

Amede⁹ Bonęuallis Viennẽſis monachus.

Petrus, & alius Petr⁹ in Caduno monachi.

In Anglia VVillelmus monachus.

Hugo, in porta cæli monachus.

Conradus in Egena monaſterio Haſsiæ monachus; multa miraculorum gloria continuè fulgens.

Theobaldus in vallibus Sernaij.

Richardus, in ſancto Bernardo Doctor, Friſiæ monachus.

Emanuel ibidem monachus, poſtea Cremonenſis Epiſcopus.

Guillelmus quondam Montiſpeſſulani Dominus, in Grandiſilua monachus. Ibidem conuerſus ille, quem VVillelmus de Balada Angliæ Abbas, & hiſtoriæ dicunt, nihil latinitatis, præter illa duo vocabula, *Aue Maria*, ſciuiſſe; ex cuius ore fertur, corpore iam tumulato, lilium prodijſſe, & litteris aureis, *Aue Maria*, vbiq́; decoratum.

Vitalis in S. Sulpicio Conuerſus.

Franca in ciuitate Placentina monialis & Abbatiſſa.

Margareta in ſilua benedicta, Poenenſis diœceſis monialis ſacriſta.

Haldegondis in Sconaugia, quæ ſub habitu virili ſe fratrem Ioſeph nominans, in nouitiatu impollutũ Domino reddidit ſpiritum; & multis claruit miraculis.

Margareta in monaſterio VValburgis monialis.

Ceterum tanta fuit huius ordinis ſanctitas, vt breui tempore circiter mille octo centum monaſteria virorum, & mille quadringenta monialium erecta dicantur.

Anno Domini 1098. ſundatum eſt Ciſtercium Anno 15. à fundatione Ciſtercij, hoc eſt anno Domini 1113. B. Bernardus cum 30.

ſocijs

Digitized by Google

ſocijs ingreſſus eſt Ciſtercium. Eodem anno fundata eſt prima Ciſtercij filia, Abbatia firmitatis: anno ſequēti ſecūda filia, Abbatia Pontigniacenſis. Anno tertio, id eſt anno Chriſti fundata eſt tertia filia Ciſtercij, Abbatia Claræuallis, itemq; quarta filia, Abbatia Morimundi. Hactenus ex Miſſali Pariſijs an. 1526. typis edito.

Ioannes del Vaulx, Prior Villarienſis, 1590.
ſcripſit librum de ſtatu, votis, & diſciplina monaſtica, quē ibidem ſuis dictauit, typis aliquādo publicandū, vt ſpero. Obijt an. 1590.

Anno 1598. Madriti in Hiſpania, in mo- 1598.
naſterio S. Annæ, floret Hieronym. Leamas, Doctor Theologus, monaſterij S. Bernardi obſeruantię in Hiſpania, Carracetenſis alumnus: qui edidit Summam Eccleſiaſticam ſiue Inſtructionem Confeſſariorum & Pœnitentium, Moguntię typis publicatam.

Sunt autem plurima, eaque florentiſsima ord. Ciſtercienſis monaſteria in Hiſpania, quibus vnus præeſt, quē vocant Reuerendiſſimū Generalem, Reformatorē ord. S. Bernardi in Hiſpaniarum regnis. Sunt autem Abbates non niſi triennales: quod & in ordine Præmonſtratenſi obtinet.

Inter Ciſtercienſes noſtra ætate plurimi Doctores ſcriptis illuſtres in Hiſpania extiterunt. Ex his Salmanticæ floruerunt *Andreas Acetores*, qui ſcripſit de Theologia

ſymbolica; *Laurentius de Zamora*, qui Tomos ſeptem Concionum, titulo Monarchiæ myſticæ publicauit; *Ludouicus Bernardus*, cuius exſtat Monarchia monaſtica, & Commentarius in regulam S. Benedicti; *Valerianus Spinoſa*, & alij.

Compluti floruerunt *Petrus à Lorca*, Generalis reformationis Hiſpaniæ, qui Tomos duos edidit in ſecundam ſecundæ D. Thom. *Cyprianus N.* cuius exſtant Commentarij in Cantica Cantic. in Matth. Baruch, alioſque Prophetas; *Franciſcus Suarez*, Abbas Vallis Paradiſi prope Salmanticã, & Regiꝰ Madriti Concionator, qui ſcripſit in Magiſtrũ Sententiarum, item Sermones de Tempore & Sanctis; *Ignatius Viuerus*, qui Tomos tres de Exordio Ciſtercij, & de miraculis S. Bernardi publicauit; *Ioannes de Valle*, cuius exſtat liber de viris illuſtribus ord. Ciſtercienſis; & alij plurimi.

Floruerunt item noſtro ſeculo, *Angelus de Manrique*, nobili genere natus in Aragonia, Abbas Vallis Paradiſi, qui Conciones de Aduẽtu, Quadrageſima & ſanctis foras dedit; *N. Aluares*, & *N. Montaluus*, de vita & miraculis S. Bernardi ſcripſerunt; *Ioannes Lopes* Abbas, qui ſcripſit de viris illuſtribus ord. Ciſtercienſis; *Ludouicus Picus Piſtorius*, poeta egregius, cuius exſtant Meditationes de vita Chriſti, *N. de la fuerte*, qui ſcripſit de miraculis Chriſti

Chriſti,& alia varia aſcelica; *Ludouicus Auila*, cuius exſtat liber de bello Germanico.

Atq; iſta quidem accepimus à Ioanne de la Cerda & Caſtaineda, Doctore Theologo accepimus, cum Antuerpiæ verſaretur. Docuit is Theologiam annis 18. in Hiſpania, & ſcripſit eruditũ Volumen de Perfidia Iudeorum, deq́; bonis ipſorum fiſco adſcribendis.

Anno 1607. Ioannes Piſtorius Præpoſitus Vratiſlauienſis, chronicon conſtantienſe cum magno chronico Belgico publicauit. Quo anno tradit in conſtantienſi diœceſi apud Germanos iſta Abbatialia monaſteria virorum ord. Ciſtercienſis, poſt hæreticorũ defectionem floruiſſe, *Salem* apud Vberlingam, *Portam cæli*, aliàs Tremenbach / propè Friburgum Briſgoiæ, Capell / item Baind / prope Weingarten / *S Vrbani*, Wettingen, & Bebenhauſen / monialium verò iſta. Macktenaw / Hailig Creutzſaal / Rottenmünſter / & Gunterſaal prope Friburgum Briſgoiæ. 1607.

Ioannes Craſbequius Arſchotanus, S. Theol. Baccalaureus Louanienſis, cùm eſſet religioſus & Lector in Villario, ſcripſit in Regulam S. Benedicti Commentarium: qui à Capitulo Generali traditus eſt, examinandns R. D. Ioanni Martino Abbati Clari Loci. Obijt Craſbequius anno 1610. 1610.

Anno 1612. Paulus V. Pont. Max. Breuiarium monaſticũ publicauit, pro omnib' ſub 1612.

regula S.Benedicti militantibus; inter quos ſunt & monachi ord.Ciſtercienſis.

1614. Anno 1614.floret in Belgio R. V. *Bernardus Montgaillard*, primùm Niſellenſis, nunc Aureæ Vallis Abbas, in Ducatu Luxemburgenſi, Sereniſsimorum Archiducum *Alberti* & *Iſabellæ* Concionator longè diſertiſsimus.

Philippus Montanus, ex religioſa Soc.Ieſu, monachus cœnobij Molinenſis in Comitatu Namurcenſi, ſcripſit ſpeculum orthodoxæ fidei, & hæreticæ prauitatis, & Reuerendo admodum Domino, D. Roberto Henrion Abbati Villarienſi inſcripſit: quod opus typis longè digniſsimum omnes eruditi iudicant.

INDEX RERVM.

A.

Almenſis Abbatiæ origo in diœceſi Leodienſi pag. 135.

S.Anaſtaſij monaſterium Romæ pag. 104.

Angliæ monaſteria inſtituti Ciſtercienſis 89.

Aureæ Vallis Abbatia in Ducatu Luxemburgenſi 84.

B.

Beguinarum virginum origo in Belgio 196.

Belgij monaſteria ordin. Ciſtercienſis 297.

Benden 195.

Benninckhouen 219.

S.Bernard. fit monachus 34. S. Guilielmum Ducem Aquitaniæ conuertit 95. Fundat monaſteria in Italia 95. In Hiſpania 111. In Belgio 102. In Germania 117. 122. In Brabantia 122. Moritur 159.

S.Bernardi monaſteriũ ad Scaldim iuxta Antuerpiam 128.234.

Berthold' Liuoniæ Apoſtolus in Auctario ad an. 1194.

Bodeloenſis Abbatiæ origo in Flandria 186.

Bottenbroich 230. & ſeq. 282.

Boneffia 238.

C.

Camberonenſis Abbatia in Hannonia 133.

Campus vetus 39.

Cardi-

Cardinales ex ord. Ciſtercienſi.

Balduinus I. Cardinalis 80. Conradus olim Abbas Villarienſis 124. Guido 183. & 190. Henricus 179. 182. Hieronymus Socherius 291. Hugo 139. Ioannes de Toleto 255. Robertus 268. Simon de Bello loco 268.

Charta caritatis 33.

Ciſtercium fundatur 3. 8. 10.

Claraeuallis in Bungundia 6. 38.

Clarauallis apud Mediolanũ 94.

Claromariſcus in Arteſia 101.

Conſtantienſis diœceſis monaſteria: in Auctario ad an. 1607.

D.

Dunenſis Abbatia in Flãdria 96.

Duiſſern 233.

E.

Ebracum 39.

Epiſcopi & Archiepiſcopi ex ord. Ciſtercienſi.

Adolphus Oſnaburgenſis 183. Andreas Atrebatenſis 170. Bartholomæus Laudunenſis 138. Carus Montis Regalis in Sicilia 280. Balduinus Vigorniẽſis 180. Balduinus Cantuarienſis 182. Chriſtianus Liſmorẽſis in Hibernia 158. Godefridus Lingonẽſis 139. Guarinus Bituricenſis 178. 180. Guarmundus Altiſiodorẽſis 181. Guichardus Lugdunenſis 171. Henricus Bellouacenſis frater Ludouici VII. Galliç Regis 139. Hugo Altiſiodorenſis 59. 139. Lupus Cordubenſis 231. Petrus Atrebatenſis 181. Theodoric⁹ Magdeburgenſis 278. Triſtandus Xantonenſis 289.

Equites ord. Ciſtercienſis.

Calatrauæ 160. Chriſti 271. SS. Mauritij & Sozari 286. Monteſiæ 270.

F.

Firmitatis Abbatia fundatur 6.

Fontinella 196.

FranciçAbbatia 35 & ſeqq. 80. 179.

Fulienſis Congregatio 293.

Fürſtenfeld 260. & 262.

G.

Germaniæ Abbatię 36. 79. 88. 94. 106.

H.

Heiſterbacum ſiue Hemmeroda fundatur 182.

Herkenroda in diœceſi Leodienſi 181.

Hiberniæ monaſteria 133. 175.

Hildegundis androgyne 169.

Hiſpaniæ monaſteria 111. & ſeqq. ſcriptores in Auctario 1598.

Hollandiæ monaſteria 231. 283.

I.

Imperatorum, Regũ, principũq; beneficia erga Ciſtercienſ. 152.

Inſulæ natantes apud Claromariſcum 102.

Italiæ monaſteria 94.

B. Iuliana Cornelienſis. 130. 258.

L.

Laudenſis Abbatia vulgo Ho apud Inſulas in Flandria 140.

Lewenhorſt 261. Loſdunen 264.

Lutgardis moritur 258.

M.

Moliſmenſis Abbatia 4.

Monialium cœnobia plurima 172.

Mons Principis 259.

Morimundenſis Abbatia 6.

N.

Nouum monaſterium 261.

P.

Pariſienſe collegium Bernardinum 257.

Papa

Papæ ſeu Pontifices Romani ord. Ciſtercienſis.

Benedictus XII. 275. Eugenius III. 120.

Portiniacum fundatur 6.34.

Portzetum 25.

Præmonſtratenſem ordinẽ propagat ac promouet S. Bernardus 90.

Priuilegia Ciſtercienſium 140.

S.

Sabaudiæ monaſteria 116.

S. Saluatoris monaſterium vulgò Petri Pots Antuerpiæ 282.

Steyndenhorſt 240.

Sancti & beati ord. Ciſtercienſis.

B. Alredus Abbas in Anglia 170. B. Amedeus Epiſcopus Lauſanenſis in Auctario, ad an. 1148. B. Arnulfus Cornibaut 124. 224. B. Beatrix Lirana 215. S. Bernardus 150. B. Catharina Louanienſis 209. B. Dauid 179. B. Eliſabetha Spolbecana 181. S. Franca Abbatiſſa in Italia 236. S. Gulielmus Archiepiſcopus Bituricenſis 194. B. Ida Leutienſis 210. B. Ida Louanienſis 289. B. Ida Niuellenſis ibid. B. Ioannes humilis de monte mirabili 285 B. Iuliana Cornelienſis 130. 258. & in Auctano ad anno 1247. S. Ludgardis virgo Aquinienſis in Brabantia 162. 258. S. Malachias Epiſcop⁹ in Hibernia 133. S. Petrus Tarentaſienſis Archiepiſcopus 177. S. Robertus Abbas Ciſtercienſis 9. B. Simon Alnenſis 226. S. Stephanus Abbas Ciſtercienſis 28. 31. B. VVernicus Almenſis 212. vide auctarium ad an. 1526. B. Amedeus Epiſcopus Lauſannenſis, in auctario ad an. 1148.

Scriptores ordinis Ciſtercienſis.

Adilredus Abbas 89. Arnoldus Abbas Bonæuallis ibid. Alanus Doctor Famoſus 268. Balduin⁹ Mordau 297. S. Bernardus 43. 259. Cæſarius Heiſterbacenſis 219. Guilielmus Abbas S. Theodorici 159. Goſuinus Boſſutus 129. Gulonius 294. Gelinand⁹ & Hermannus in auctario ad an. 1526. Hubertus Rudolfus 296. Ioannes Daſsichnies 296. Nicolaus Salicetus 288. Ioãnes Craſbequi⁹ auctario ad an. 1610. & ibidem 1598. De ſcriptoribus Hiſpaniæ. Ioachim. Abbas, in auctario ad an. 1201.

Sylua B. Mariæ 283.

T.

Templariorum regula à S. Bernardo dictata 43.

Tungerloenſis Abbatia ord. Præmonſtratenſis inſtituta S. Bernardi opera 90.

V.

Valcellenſis Abbatia in agro Cameracenſi 85.

Vallis Caulium congregatio inſtituti Ciſtercienſis 249. Vallis Comitis 226.

Vetus Campus 39. Vetus Mons 39.

Villarienſis Abbatia in Brabantia 128.

Villarienſis monaſterij Beati 128.

VVelueren 234.

Zaren 208.

Ziriczea 283.

164

FINIS.

ANVERS BIBLIOTHECA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google